V. CL.

HENRICI MEIBOMII

CHRONICON MARIENTHALENSE.

Opus posthumum.



HELMESTADII
Cura HENNINGI MULLERI Acad. Typ.
CIↃ IↃ C LI.

Perquam Reverendo, Amplissimo, & eximio Viro,

DN. IOHANNI Haspelmacher Abbati Marienthalensi, Serenissimi Brunsuicensium & Luneb. Ducis Consiliario Consistoriano, ecclesiarum Dannenbergensis Ducatus Generali Superintendenti,

Domino & Amico pl. honorando

CHRISTOPHORUS SCHRADER

S. D.


PErfecta tandem est à Typographo, Chronici Meibomiani desiderata editio, unde Marienthalensis collegij, priscam faciem, & nostra ætas & postera, ex parte arbitrari poterit. Dico illud dedicoque tuo, perquam Reverende Vir, Amplissimo nomini, eo quidem lubentius, quod Serenissimi Celsissimique Principis clementi concessu atq; munere tuoque merito, in eorum, qui hic longo ordine commemorantur, Antistitum locum successisti,

quorum vitæ modum & pro patriæ ac ecclesiæ salute nonnullorum bene gesta, velut in speculo intueri, non poterit non utile esse ac jucundum. Quemadmodum verò venerandi majores, in hoc sacrorum sodalium consortio condendo propagandoq;, pio & sancto usi sunt consilio, ita ne nunc quidem post tot tempestates, tantamque rerum conversionem amittendus ex oculis ille scopus videtur, quem religiosi conditores sibi proposuerant. Erat autem & anterioribus seculis & non ita dudum Vallis ista (ut de sacris exercitijs ceteris nunc sileam) schola pietatis & humaniorum litterarum, cui recta adolescentiæ studia, cum haut dubiè jam olim multi debuerint, qui debeant, supersunt hodieque. Eget verò etiam nunc, vel maximè, respublica his præsidiis, quibus teneræ ætatis proba institutio firmetur; quando & illis qui genuinum pueritiæ formandæ modum discere cupiant, studiorum subsidia, & his qui didicerunt, jamq; in puluere illo luctantur justa præmia desiunt. Cui tanto malo tollendo cum Serenissimus Princeps. Patriæ Pater, augustam ma-

num

num admoverit, atque omnibus ad bene de his ſeminariis ſperandum merendumq;, quaſi ſignum aliquod ſuſtulerit, gratulari patriæ, & ut Celſitudinis ejus laudabili inſtituto paſſim pareatur, omnes publicæ rei amantes ſuo quemque loco par eſt adiuvare. De tuo equidem, *venerabilis Antiſtes*, in ſancto hoc negotio promovendo, ſingulari affectu, atque ſtudio, eo dubito minus, quo crebrius & certius in familiari colloquio illud ſoles teſtari. Deus & mentem hanc tibi ſervet & opem addat, ut poſtquam exſpectatiſſimæ pacis beata tempora emicare jam cœperunt, ſacræ Valli flos ſuus redeat, quo inde & eccleſiæ Chriſtianæ, &, qua parte maximè laboramus, ingenuæ pueritiæ, exquiſitæ informationi, juſtum accedat incrementum. Vale, & Academiæ Juliæ, in eaque mihi, ſi mereor, favere perge. Helmeſtadij Idib. Sextil. cIↃ IↃ cLI.

BENEVOLE LECTOR,



CHronicon istud, inter beati parentis sui ἀνέκδοτα asseruabat, optimus eruditissimusq; & vir & Medicus, IOHANNES HENRICUS MEIBOMIUS, *Archiater Lubecensis, à quo Magnifici Nobilissimiq; Viri* DN. IOHANNIS SUUARZKOPFII, *Cancellarii Guelfici, Viri patriæ necessarii, indicio ac cura redemtum, mihi ut publicarē, & appendice augerem, traditum est. Feci lubens eò quod non solius Marienthalensis collegii res, sed & quædam ad nobilium familiarum seriem, ad finitimarum provinciarum totiusq; Saxoniæ historiam pertinentia, interserantur, cuiusmodi sunt quæ de Palatinis Saxoniæ, de Advocatis ecclesiarum, aliisq; referuntur, quorum similia manus ultima Clarissimi Auctoris, si accessisset, aspergere plura potuisset: hæc autem cum, ut arbitror, abfuerit, excusatius est, si abruptior, quam cupidus sciendi lector optet, alicubi est narratio. Enimverò quàm Historiæ, patriæ cumprimis, peritus,*

eiusq;

eiusq; propagandæ studiosus fuerit Meibomius noster, tot viri monumenta loquuntur, quæ vel tenebris & situ peritura in lucem protulit, vel annotationibus illustravit, vel deniq; ingenio atq; industriâ suâ ipsus composuit: quorum omnium, nec eorum tantum quæ vivus publicavit, sed & quæ editioni destinata mortuus reliquit, catalogum hic adscribere Germanicarum rerum studiosis haut ingratum fore censuimus. Quæ edita nondum sunt, servantur pleraq; Lubecæ à præclari Auctoris excellentissimo filio, qui & indicem τῶν ἀνεκδότων, magna ex parte, mecum communicavit, & nihil horum reip. litterariæ invidebit. Vnum quod te, Lector, moneam superest, incerti scriptoris Chronicon MONTIS-SERENI, *sive* LAVTERBERGENSE, *quod Meibomio edendum se dedisse, in directorio historicorum, Germanicarum rerum scriptoribus à se publicatis præmisso, refert Marquardus Freherus, & Meibomius ipse in hoc Marienthalensi Chronico suo prædicat, manu Meibomiana exscriptum superesse VVolferbyti, apud Magnificum Dn. Cancellarium, antea*

tea

tea laudatum, ab eoque inter plurima, de Germania, Saxonia, & Guelficarum provinciarum rebus, haut vulgaria monumenta manuscripta, studiosè asservari, ita tamen, ut simul atque illius vulgandi, & Marquardi Freheri nuncupatam voluntatem vel serius exsequendi oportunitas fuerit visa, codicem hunc, vir publico bono natus, publico probibere, scio, nolit. Vale, Lector, & studium nostrum benignè interpretare. In Acad. Julia postrid. Id. Sextil. cIↃ IↃ cLI.

OPERA



Opera aliorum quæ Cl.V. HENR. MEIBOMIVS, vel primum in lucem protulit vel notis illustravit.

In folio.

Gobelini Persona Cosmodromium, cum Appendice & Notis Francofurti 1599.

Leveldi Northovii Origines Marcana cum Notis. Hanoviæ 1613.

VVidechindus Monachus. Accessere Rhosvvita Panegyricus, Historia archiepiscopatus Magdeburgensis gemina; Tres decades Diplomatum & Donationum Ottonis M. Imperatoris; Chronicon monasterij Corbeiensis; Translatio S. Viti & Iustini Martyrum in novam Corbeiam, deq; ejusdem monasterij fundatione Francofurti. Anno 1621.

Chronicon Brunsuicense Henrici Büntingi. Magdeburgi. 1620.

Reineri Reineccii Historia Iuliæ pars tertia. Helmstadii 1597.

Quarto.

Iohannis Niemij vita Iohannis Papæ XXII.

Hermanni de Lerbeke Chronicon Schauvvenburgense. Francofurti. 1620.

Anonymi Chronicon Mindense. 1620.

Iustini Lippiflorium. 1620.

Henrici Aquilonopolitani Chronicon Lippiense. Eiusd. primordia Vrbis Lubecensis.

Gerhardi Præpositi Stederburgensis vita Henrici Leonis. Helmstadii 1614.

Aurea bulla Andronici Imperatoris cum Notis. Helmst. 1614.

Sigismundi Iulij Mynsingeri à Frundek poemata. Helmst. 1619.

Reinerus Reineccius de Saxonum originibus. Helmst. 1620.

Duodecimo.

Ioh. Sleidanus de IV Monarchiis.
Festus Rufus.

Supersunt edenda.

Leveldi Northovij Catalogus Archiepiscoporum Coloniensium.
Anonymi Chronicon Magdeburgense.
Henrici VVolteri Chronicon Bremense.
Erdvvini Erdmanni Chronicon Osnaburgense.
Io. Schiphovveri Chronicon Archicomitum Oldenburgensium.
Anonymi Chronicon Rastedense.
Anonymorum aliquot Chronica minuta monasteriorum Husesburgensis, S. Michaëlis in Hildesheim, in Lothen diœcesis Mindensis, inde Lemgoviam translati.
Chronicon Ecclesiæ Hamelensis, per Iohannem de Polda ecclesiæ Seniorem.
Chronicon Stederburgense.
Anonymi narratio de Alberto Episcopo Halberstadensi XIX. Duce Brunsv. & Luneb.
Chronicon Gandersheimense. &c.
Henrici Roslæ Nienburgensis ad Visurgim Herlingsberga, Poëmation, ante annos quadringentos scriptum, quod Iohannes Henricus, Henrici F. Meibomius cum Notis propediem evulgabit.
Chronicon Montis Sereni, Cœnobii in diœcesi Magdeburgensi.

Opera propria edita.

Quarto.

Chronicon Riddageshusanum. Helmstadii 1620.

Apologia

Apologia pro Ottone IV Imperat. Helmst. 1614.
Irmensula Saxonica. Helmst. 1612.
Vindiciæ Billingana. Helmst. 1615.
De utriusque Saxoniæ pagis. Helmst. 1610.
Historia Bardovvici. Helmst. 1613.
Dissertatio super jure quodam antiquato Cæsarum Germanicorum in decedentium majorum Prælatorum bona. Helmst. 1612.
Guelfus Redivivus. Helmst. 1614.
Adversus ICtos quosdam demonstratio Saxoniam habuisse Duces ante Hermannum Billingium.
Genealogia Duc. Brunsvicensis carmine reddita.
Chronicon VValbeccense. Helmst. 1619.
De Henrico Leone oratio metrica. Helmst. 1597.
De origine, dignitate & officio Cancellariorum Academicorum. Helmst. 1612.
Centonum Virgilianorum tomi duo: alter auctorum veterum, alter Henrici Meibomii.
Agalmata Deo incarnato & virtuti imperiosa consecrata. Helmst. 1597.
Chronicon Marienthalense.

Octavo.

Parodia Horatiana.
Anacreontica.
Sylvula piarum meditationum, item Flores verni & auctumnales, sive poemata sacra.

Edenda.

Chronicon Monasterii Bergensis ad Albim.
Chronicon Monasterii S. Laurentii prope Schöningam.
Chronicon Germ. Monasterii Regii Lutterensis.

Chroni-

Chronicon Germ. Monasterij Ammenslebiensis.
Bericht von der Compterei zu Süplinburg.
Thaßilonis Agilolfingi Diploma cum Notis.
De jure investitura Episcopalis discursus.
Oratio de origine Helmstadii.
Poemata selectiora.
Diplomatum & Fundationum farrago amplißima.
Chronica deß Jungfräulichen Klosters vnser lieben Frawen Berge vor Helmstädt.
Chronica des Christlichen Gotteshauses vnd Jungfräulichen Klosters Marienborn / im Ertzstifft Magdeburg gelegen.



V. CL. HEN-

V. CL.

HENRICI MEIBOMII CHRONICON MARIENTHALENSE.



Onasterium Vallis Mariæ distat dimidio milliari ab Helmstadio, urbe antiquissima, Academiæ Iuliæ sede, situm in valle amœnissimâ, fontibus & piscinis irriguâ. Hujusmodi enim locis delectatum fuisse Divum Bernhardum, ejusq; sectatores, quemadmodum contrà Benedictus colles amarit, indicat Gaspar Bruschius Poeta & historicus istis verbis:

Semper enim valles silvestribus undiq; cinctas
Arboribus Divus Bernhardus amabat, & urbes
Et fluvios: juga sed Benedictus amabat, & arces
Cœlo surgentes: è quorum vertice latè
Prospectus petitur ————

De hujus celebris & antiqui monasterij conditore, fundationisquè tempore explicat pervetus membrana, quam integram adscribam, adjectisque notis quibusdam illustriorem reddam. *Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXIIX, præsidente in Apostolicâ sede Innocentio Papâ, regnante quoq; rege Conrado, nec non Rudolfo in Halverstad existente Episcopo, fundatus est locus iste, qui vocatur Vallis-Sanctæ-Mariæ, à Venerabili Friderico Palatij Comite, piæ memoriæ, Domino Bodone tunc existente Abbate, in honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis, beatissimæ genetricis Dei & virgi-*

nis Ma-

nis Mariæ, Sanctorum Apostolorum Petri & Iacobi, ac beati Stephani protomartyris: quorum meritis ac precibus tribuere dignetur Dominus, omnibus in eo habitantib. præsentis vitæ tranquillitatem, & æterna beatitudinem, omnibusq; benefactoribus nostris æterna præmia restituat, & de cætero omnium circa indigentiam nostram bonam voluntatem adaugeat. Hactenus membrana.

De Pontifice Innocentio & Conrado Imp. non est necesse ut aliquid dicamus: Episcopi Rudolphi facienda est mentio. Is post depositum Ottonem, quod anno MCXXXV factum, Halberstadensi cathedræ Episcopus datus est: atque hoc tempore tertium in isto munere agebat annum. Vidi ejus literas non paucas, quæ omnes Viri optimi animum humilem & demissum arguunt. Libet adjicere initium unius instrumenti donationis: *Ego Rudolphus Sanctæ Halverstadensis Ecclesiæ Episcopus licet indignus, tamen secundum dispensationem à Deo mihi creditam, solâ hac illius gratiâ operante sum quod sum.* In aliis literis non minus est humilis & modestus. Obijt Anno MCXLIX, cum XIV annis Episcopæ utiliter præfuisset.

De fundatore Mariæ-Vallis necesse est ut prolixior sim: quâ in re apud eruditos facile merebor veniam: cum hoc genus historiæ, τὸ γενεαλογικὸν, tam sit utile ac necessarium, quàm difficile, perplexum & involutum est.

Quemadmodum reliquæ Germanici Imperij provinciæ, ita etiam Saxonia suos habuit *Palatinatus*, & *Palatines Comites*. Auctor Speculi Saxon. libro III articulo LXII quinque nominat his verbis: *Quinq; civitates, quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur: in quibus Rex legitime*

time debet curiis praeesse. Prima dicitur Grona : VVerlitz secunda, quae modo in Goslariam translata est : VValhausen tertia : Alstede quarta : Quinta Merseburg nominatur. Hæc auctor Speculi. Constat tamen plures istis nominari, quod inde ortum colligo, quod dignitates, omniaq; munera publica, antiquitus non fuerunt hereditaria, sed ad alias subinde familias pro libitu Imperatorum devoluta sunt. Tempore Henricorum Cæsarum floruit illustris *Palatinorum Saxoniæ* familia descendens ex perantiqua *Comitum VVetinensium* prosapia : de quibus consulatur appendix è Chronico Gozecensi, Historiæ VVidechindi Corbejensis à Reinero Reineccio V.C L. amico nostro, adjuncta. Ex his Palatinis *Fridericus* ejus nominis quartus à *Friderico Comite Summersebgurgio* Palatinatus Saxoniæ dignitate spoliatus est. Erat Summerseburgius Palatino proximâ affinitate junctus, sed quod infantis ætatem teneram despiceret, gratiâq; apud Cæsarem valeret, dignitatem istam suæ familiæ vendicare sategit. *Summerseburgum* arx, sita milliari ab Helmstadio, in edito colle ad latus nemoris frondosi juxta & opaci, superiorum ætatum bellis non semel funditus excisa, semper tamen restituta, adhuc hodie ædificiis magnificis conspicua est. Errat igitur Georg. Fabricius, qui Chronicon Misnense secutus, à Reineccio editum, affirmat, Summerseburgi nomen cum ruinis intercidisse, & solam hodie extare loci memoriam, *Origin. Saxon. lib. I.*

Ex Comitibus Summerseburgijs nominantur *Erkenbaldus & Barvvardus*, quorum ille Moguntiæ Archiepiscopum, hic Hildesiæ Antistitem egit, uterque ob tanti honoris & dignitatis fastigio dignas convenientesq; virtutes longè celeberrimus : de quibus cognoscendi, qui

utriusque dioecesis annales perscripserunt. Nos de hac familiâ pro re natâ aliquid dicturi initium faciemus ab *Alberto* Dynasta, sive Comite Summerseburgio, *Friderici* Palatini parente, deque eo, posterisq; ipsius, quæ ex fide historiarum, diplomatum, alijsq; id generis monumentis excerpere potuimus, ordine recensebimus.

Priusquam autem id fiat, præmittemus locum Aventini de Officio Palatini Principis perspicuè & eruditè disserentis. Is exstat lib. IV. Annal. Bojorum his verbis: *Palatinus Vicem Cæsaris præsidendo senatui Principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat, jusq; reddebat, fiscum Augusti, prædia salica, reditus regios procurabat: Cæsarum censum exigebat. Nil citra ejus auctoritatem dici, aut decernere aut statuere licebat.* Hactenus Aventinus.

Nunc venio ad Albertum Summerseburgium. Is quibus parentibus natus sit ignoratur, amplam possedisse ditionem manifestum est. Vixit aliquamdiu in aula Henrici IV Imp. & quidem eo tempore, quo luxuriante & lasciviente Cæsare adolescente summa rei erat penes Adelbertum Archiepiscopum Bremensem, hominem veteris prosapiæ & multarum imaginum, nec minus doctum, sed impensè arrogantem & ambitiosum. Cui cum familiarior factus esset, Summerseburgius sororem ejus Odam promeruit. Hæc à Paulo Langio in Chronico Pag. 774. Citizensi *Vda*: à Georgio Fabricio, nescio, quam bene, *Hilaria* nominatur, celebris propter summam integritatem & innocentiam. Alberto Summerseburgio veteres annales Misnenses MS. tribuunt cognomentum *Seveke*, quod unde natum sit nescio: Saxonica lingua *parvum cribrum* significat. Ad sylvam Herciniam fuit olim arx *Sevekenborg*, fortè ab hoc Palatino condita. Ejus meminit

nit Auctor vitæ Alberti Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis. Ex his conjugibus natus est *Fridericus Summerseburgius*, qui primus dignitatem Palatinam, Friderico ex Palatinis Saxoniæ VVetinensis familiæ oriundo, ereptam, sibi vendicavit. Cognominatur *Senior* in appendice chronici Lauterbergensis & Annalibus Misnensibus, quos codices MSS. habemus beneficio Marquardi Freheri nobilissimi juxta & doctissimi viri.

De rebus gestis Friderici hoc refert Chronicon Pegaviense, quod ab Henrico V. dignitate privatus, eidemq; rebellare compulsus sit. Imperator ille una cum regno, per vim & sacrilegium Parenti erepto, odium adversus Saxones assumsit eosque *censu inaudito*, ut Annales loquuntur, *vehementer infestabat*. Principes onerum istorum impatientes de libertate avitâ defendendâ solliciti erant: quos ille omnes dignitatibus privabat, aliis in locum eorum substitutis. In his erant Reinardus Episcopus Halberstadensis, Fridericus Palatinus Summerseburgius, Fridericus Comes Arnsburgius, Rudolphus Marchio Stadensis. Qui proceres adjuncto sibi Lothario, nuper dynastâ Querfurtensi, nunc Saxoniæ Duce, & VViperto Comite Groicensi, aliisque Dynastis ab Imperatore hactenus divexatis, cum eodem ad saltum VVelfonis conflixerunt, de qua pugna multa apud scriptores istius ævi. Hoc constat ex utraque parte desiderata multa hominum millia. Acciderunt ista anno MCXV.

Quando excesserit è vivis Fridericus compertum non habeo. Abbas Vrspergensis, qui à Principibus ad Imperatorem defecisse scribit, circa annum MCXX obiisse vult, & fabulam de ipso monasticam addit. Sed

adscribo ejus verba: *His temporibus Fridericus Palatinus Comes, qui nuper se à cæteris dissocians Regis fidelitati devinxerat, obijt jam provecta ætate: & ut cuidam servo Dei evidenter revelatum affirmant, ad loca pœnalia fertur descendisse.* In Matrimonio ejus fuit *Mechtildis* filia *Theberga*, cujus epitaphium saxo incisum in choro templi cœnobij Hamerslebiensis, quod anno MCVIII condidisse legitur, adhuc hodie cernitur. Liberos hi conjuges reliquerunt *Fridericum juniorem* & tres filias *Alheidin*, & *Iuditham* & *Agnen*: de quibus primò loco dicam, deinde Friderici historiam persecuturus.

Alheidis nupsit Gosvvino comitatus Heinsbergij in agro Iuliacensi dynastæ præpotenti, eique peperit *Salomen* nuptam Burchardo Comiti Dassiliensi; *Philippum* archiantistitem Coloniensem, adversarium Henrici Leonis; *Mechtildin* conjugem Dedonis Crassi comitis Rochlicensis; & *Godfridum* comitatus Hinsburgensis heredem.

Iuditha accepit maritum *Ludovicum* Comitem Aldenhusanum.

Agnes ducta est à *Conrado*, Theodorici comitis Plocensis F. Marchione Brandenburgio, qui in itinere Romano sagitta ictus perijt anno MCLII, Friderico II imperante.

Redeamus nunc ad *Fridericum Palatinum juniorem*, sic nominatur enim à Reinardo Episcopo Halberstadensi in literis datis anno MCXXI. Ab illo, quem diximus, Episcopo Fridericus constitutus est Advocatus cœnobij S. Laurentiani propè Schoningam: quod idem Antistes ejectis monialibus (*quæ*, ut ipse in literis fundationis loquitur, *inutiliter ac sine fructu sanctæ religionis, omnisq́ honestatis dies suos deducebant*) Augustinianis regularibus,

Thiet-

Thietmaro Præposito constituto, inhabitandum dedit anno MCXX. Fridericus idem jus Advocatiæ habuit in monasterium San-Ludgerianum, Helmestadio versus orientem contiguum, ut didici ex literis Lamberti à Gennep, Abbatis VVerdinensis ac Helmestadiensis. Præterea advocatum egit idem illustris collegij Quedlinburgensis, affirmante id Vlrico Episcopo Halberstadensi in literis anno MCLI datis.

De istis *Advocatis* quorum frequentissima est mentio in historiis episcopatuum & monasteriorum veterum, ut subjungam aliquid, non abs re fore puto.

Sancitum sæpè fuit in conciliis de monastici ordinis hominibus, ne se mundanis, vel secularibus negociis immiscerent, nec ea quæ mundi sunt tractarent: *ne dum cognoverint inferiora bona disponere, non valerent superioribus bonis deservire*, ut utar verbis Gregorij M. Cum vero monasterijs ex liberalitate Principum sæpenumero territoria ampla cum oppidis, pagis, præfecturis, villis, pascuis vineis, piscinis, nemoribus, cum omnibus simul juribus & privilegijs tam civilibus quam Ecclesiasticis donarentur, ne cogerentur ob hanc causam Abbates & monachi secularia negotia omissis spiritualibus tractare, jussi sunt ab Imperatoribus & Regibus, Laicos eligere, quibus ista bona & possessiones curandas administrandasque commendarent, ipsi interim pijs exercitijs precum & studiorum sedulo vacantes. Non raro etiam Centauri harpyiæque potentiores Ecclesiasticis bonis tanquam corvi rapaces inhiantes, ea sibi vendicabant, inquè profanos usus convertebant, ut inde ministrorum Ecclesiæ & pauperum ratio nulla haberi potuerit.

Ad horum corvorum & Harpyjarum rapacitatem & petu-

pet ulantiam infringendam opus erat Ecclesiis defensoribus, qui non minus justi, quam potentes essent. Vocati sunt vulgò hi *Advocati* seu *Patroni*, Germanicè Kastenvögte / Edelvögte oder Schirmherrn: nonnulli appellarunt *Vice-Dominos*, quæ vox mutilata adhuc in usu est, Viztum.

Sed ad propositum. Fridericus Palatinus, anno MCXXIX testis adducitur in diplomate Lotharij Imp. Paullò post interfuit celeberrimis istis Comitijs, quæ Lotharius Imp. habuit Brunsvigæ in urbe sua hereditaria, de quibus copiosè Spangenbergius in Chronico Saxonico cap. CCXVII. Comitatus deinde aliquandiu Imperatorem anno MCXXXVI fuit in Comitijs Merseburgensibus, ubi Lotharius fundationem monasterij Formbachensis ratam habuit. Altero anno eidem adfuit Bardovici, ibique condito in vicinia novo monasterio Sigebergensi, diplomati fundationis testis insertus est. Lothario iterum in Italiam eunte ipse domum rediit, & quidem hoc ipso anno MCXXXVII fuit Halberstadij, ubi Rudolfus Episcopus Synodum provincialem celebrabat. Biennio post cum Rudolfo ejus nominis secundo Marchione Stadensi, cujus sororius erat, in agrum Bremensem cum exercitu profectus est: in qua expeditione Adalberone archiepiscopo, qui Romam abierat, absente, urbs Brema oppugnata, capta & direpta est. Anno MCXLV, mense Iulio adfuit Lamberto, Abbati VVerdinensi in monasterio San-Ludgeriano, fundanti nosocomion, in quo infirmis & ægrotantibus de commodo victu deque cura valetudinis per idoneum peritumque monachum prospiceretur. Post biennium interfuit bello sacro, quod susceptum est contra Slavos religio-

ligionis Christianæ hostes acerrimos. Nomen dedere huic expeditioni Fridericus Magdeburgius, Rudolfus Halberstadius, VVernerus Monasteriensis, VVigmannus Naumburgius, Reinardus Merseburgius, Anshelmus Havelbergensis, Antistites, VVieboldus Abbas Corbeiensis, Henricus Leo Dux Saxoniæ, Conradus Misnensis & Albertus Soltvvedelensis, Marchiones, cum multis aliis illustribus Dynastis. De hoc bello multa apud Helmoldum lib.I. cap LXIII. & in Chronico San-Petrino sive Lauterbergensi ad annum MCXLVII. Redux eodem anno cœnobio San-Laurentiano ad Schöningam dono dedit agri aliquot jugera in pago Watenstede/ cui donationi consensit filius *Adelbertus*. Anno MCXLIIX. Indict. XII. die Lucæ adfuit synodo quæ Halberstadii habita fuit, præsentibus ibi Sigebodo Ilsenburgensi, Rotchero de S.Michaële Abbatibus: Henrico Præposito, VVichmanno Præposito majore, Erpone Decano, Conrado Camerario, Vlrico Vicedomino, Hermanno Custode, Henrico Magistro: ex Laicis, Friderico Comite Palatino, Gosvvino Comite de Valckenborg, Poppone Comite de Blanckenborg, Ludovvico de VVipper &c. Biennio post adfuit Henrico Leoni & Vlrico Episcopo Halberstadensi, qui in pago Supplingen, prope Supplingeburgum, olim Templariorum, nunc Equitum Rhodiorum domum commendatoriam non ignobilem, congressi, de commutatione quorundam agrorum inter prædictum Vlricum Episcopum, & Everhardum primum, Abbatem Lutterensem tractabant. Eodem tempore & loco, dissidium quoddam Henricus Leo composuit, quod ab annis aliquot fuerat inter Fridericum Palatinum, & Bernhardum Vice dominum Hildesiensem antiquissimâ

familiâ natum, opibuſque validum. Inveni nonnullos hujus familiæ dynaſtas, quos addam.

Hermannus ſubdiaconus Eccleſiæ Hildeſienſis 1148.

Bernhardus vice dominus Eccleſiæ Hildeſienſis adducitur teſtis à Bartoldo Epiſcopo Hildeſienſi in literis fundationis monaſterii Baccerodenſis, quod nunc Mariarode dicitur, 1125. In Comitiis Brunſuicenſibus ſub Lothario Cæſare comparuit 1131. Adfuit eidem confirmanti fundationem cœnobii Segebergenſis in Holſatia 1137 vixit adhuc 1146.

Bernhardus iunior Vicedominus Hildeſienſis adducitur teſtis in literis Vdalrici Epiſcopi Hildeſienſis 1150. Inſtituit ſibi memoriam in templo cathedrali Hildeſienſi tempore Adologi Epiſcopi.

Conradus Comes de VVallele vel VVellede, uxor eius Adelheidis 1145.

Adelheit 1185. Aricherin 1189.

Hæ duæ ſorores, Conradi Comitis filiæ *interpellante matre ipſarum Adelheida fundum cujuſdam ſylvæ penes Helmſtad, & larem unum in Criſpenroth* (retineo verba literarum) *donarunt monaſterio Divæ Mariæ Virginis prope Helmaſtadium anno MCXXCIX.* Monaſterium illud ordinis eſt Divi Auguſtini, conditum, anno MCXXCI, auſpicio VVolframi comitis Kirchbergij, Abbatis VVerdinenſis, ac Helmæſtadienſis ordine 34.

Verum ad Fridericum redeo: cujus res geſtas plures non invenio: reſtat ut de matrimonio & obitu aliquid adjiciamus. Conjux ei fuit *Luchardis* ſive *Lucardis*, filia Rudolfi 1. Marchionis Brandeburgenſis & Stadenſis, Vdonis I. Filia, Sigfridi II. Neptis. Ex hac ſuſtulit *Adelbertum* filium, & *Adelheidin.* Antiſtites ejus temporis matrimonium illud clamitabant illegitimum eſſe, erant-

que

que auctores Palatino, ut conjugem dimitteret, quæ propiore ipsi consanguinitate conjuncta esset, quam Pontificiæ leges permitterent. Diu agitatum negocium cum tandem finem habuit, ut Palatinus nolens volens conjugem dimittere cogeretur: in quem tamen annum hoc inciderit, indagare non potui. Nupsit Luchardis deinde Daniæ regi *Erico*, cognomento *Lamb*: eoque sive mortuo sive in monasterium detruso, (nam annales variant) ducta est ab *Hermanno Comite VVinceburgio*, viro potente & magnarum divitiarum ut vocat Helmoldus lib. 1. cap. LXXIV cui peperit tres filias, quarum *una* nupsit Henrico Comiti Suarceburgio, qui postea Erfordiæ in latrina forijs suffocatus miserrimè perijt: *altera* Magno Burtzio Duci Daniæ, quo excœcato virilibusque orbato, ipsa à mancipio quodam naso truncata est: *tertia* Heilvvigis, monialis fuit Gandersheimensis. Luchardis tandem cum Hermanno VVinceburgio marito suo interfecta est à quodam Equite Suevo, cujus absentis conjugem formosam & juvenculam cum per vim ille stuprasset, hic memorabili ad omnem posteritatem punitæ libidinis exemplo primò adulterum, deinde ejus conjugem, parricidæ cædem mariti ferocius objicientem, vindictamque minitantem, eodem gladio transverberavit. Contigit ista cædes anno M C L I I ut habent annales Steterburgenses & Chronicon Lauterbergense I I I Kalend. Febr. Fridericus an matrimonium repetiverit, incertum est, ipse è vita cessit anno M CLXII. XIV Kal. Junij, sepultus in fano Mariævallensi, in parte inferiori Presbyterij, sive ut vulgo loquuntur, chori. Sepulcro incisa est imago ejus imberbis & cataphracta, cui adscripti hi versus epitaphij.

Felix sit, Christe, cæli cum civibus iste.
Vallis fundator Mariæ, virtutis amator,
Prudens, Magnificus, fidusq; Comes Fridericus.

Fuit hic Princeps omni pietatis, justitiæ, fortitudinis, & mansuetudinis laude excellens, staturâ corporis procerâ & ad majestatem compositâ: Solo matrimonio infelix, quippe qui conjugem summo loco natam, forma & morib. decentem, neque infœcundam, ab importunis sacrificulis non tam persuasus, quam compulsus, invitè repudiarit. Cultus divini incremento quantum studuerit, sola fundatio vallis-Mariæ ostendit, de qua paulo post plura. nunc de ipsius liberis.

Albertus Sommerseburgius, patre defuncto, Palatinatu potitus est, eumque summâ cum laude administravit. Etsi autem Henrico Leoni sanguine cohæreret, persuaderi tamen sibi passus est, ut cum alijs non paucis principibus arma contra eum sumeret. Hi erant VVichmannus Magdeburgensis, Hermannus Hildesiensis, Episcopi, Ludovicus Comes Provincialis Turingiæ, Adelbertus Marchio Soltvvedelensis, Otto Marchio Camburgensis, Christianus Comes Oldenburgius, & hos omnes potentiâ superans Reinholdus Coloniensis in Vbijs Archiepiscopus. Spangenbergius refert hæc ad annum MCLXIV. Quid utrinque gestum sit, quæ clades datæ & acceptæ, non est hujus loci commemorare. Duravit hoc bellum integrum quadriennium, sopitum tandem auctoritate Friderici I. Imp., qui honestis conditionibus propositis pacem omnibus reddidit. Rediit igitur Albertus Palatinus cum Leone in gratiam, & ab eo semel atque iterum de pace mutuis affinitatibus inter diffidentes concilianda tractavit, sed frustra. Antequam isti civili bello adver-

adversus Leonem nomen daret, eodem quem dixi anno, mense Ianuario evocatus est à Gerone Episcopo Halberstadensi ad compositionem controversiæ cujusdam inter Hujesburgensem & Mariæ-vallensem Abbates jam diu litigantes. Vtriusque monasterij quod advocatus esset, jubens comparuit. Verum Episcopus alios in consilium prius adhibitos secum habebat, nempe Hermannum Verdensem Antistitem, Baltramum summi templi Præpositum, Fridericum Decanum: & ex Politicis Adelbertum VVernigerodanum Comitem, Sigfridum & Ludolfum Barones Suanebecios, aliosque ex equestri ordine non paucos. Ab his negocium sine molestia compositum est.

Anno M C LXXVI fuit in monasterio San-Ludgeriano accitus eò à VVolframo Abbate VVerdinensi, quod post parentem defunctum Advocatus loci esset. Abbas salutis suæ satagens in monasterio Ludgeriano instituit, ut die obitus sui annuatim sacra nocturna, & diurna solenniter fierent, eleemosynæ distribuerentur, atque hoc modo anima ipsius Deo reconciliaretur.

Biennio post, affirmante Alberto Stadensi, (nam Spangenbergius reijcit in annum M C LXXXI) cum Henrico Leone arma sumsit contra Vdalricum Antistitem Halberstadensem: sive quod ab ejus præsidiarijs militibus ex Hornburgo, arce munitissimâ subinde excurrentibus, injurias accepisset, vel quod Episcopi inquieti machinationes perniciosas aversaretur. Expugnatum fuit tum Halberstadium, ipsaque urbe direpta & incensa fanum Divo Stephano protomartyri Sacrum conflagravit. Vdalricus Episcopus captus ad Leonem ex castris domum reversum una cum Præposito Romano, Brunsvigam de-

 ductus

ductus est. Misit quidem Leo captivos in custodiam, Episcopum Ertenburgum ad Albim, Præpositum Sigebergam, non tamen illum in vinculis necavit, ut falsò affirmat Georgius Fabricius. Nam Arnoldus Lubecensis diserte affirmat Ulricum libertati restitutum: verum senio, curis, laboribus & ærumnis, quas ipse sibi attraxerat, confectum Hujesburgi, quo secesserat, obiisse. Factum hoc anno M C LXXXII. XXX. Iulij, ut annotant alij. Clades ista, quæ loca sancta profanavit, hominesque sacri ordinis misere absumsit, cum victori nunciata esset, lacrymas ei excussit, quæ invito ipso talia perpetrata fuisse manifestò arguebant. Incendium Halberstadense Poëta quidam ejus seculi descripsit carmine, cujus meminit quidem Bruschius in Catalogo suo Antistitum Halberstadensium, sed non edidit: nos manuscriptum nacti, mendis quibusdam liberatum, ut posteritati innotescat, & ab interitu vindicetur, integrum apponemus.

Quis furor ignis? quave malignis causa furoris?
Carmine pingo: non ego fingo verba doloris.
Vrbs sacra, dives, plebs bona, cives, sunt data prædæ,
Fit pavor urbis, fit fuga turbis, fit fuga cædes.
Ignis inhorret, cunctaq; torret flamma cremando.
Obvia telis turba fidelis nulla juvando.
Mors fera cædes, flamma per ædes cuncta perurget,
Sævit in armis fulgida parmis turba cohortis,
Dicite cives, urbs ista dives, quando resurget?
Voce minaci dissona paci nuncia mortis.
Vivere digni sunt cibus igni, sunt cinerati.
Ad loca cœli mente fideli jure vocati.
Stirpe Sereni, flos quasi fœni, marte teruntur.
Stemmate pleni, sub scrobe cœni, projiciuntur.

Tollit

Tollit amictus miles, & ictus ense minatur.
Vox tonat oris, dextra furoris cæde fugatur.
Nil valet ullum ferre cucullum, cum prece signum,
Ordine functum nil valet unctum vivere dignum.
Quæ sacra cernit vis mala spernit, cuncta profanat.
Alta refundit, firma retundit, culmina planat.
Vertice canum, menteq́ cautum, multa scientem,
Nullus honorat, gratia rorat nulla furentum.
Pugnat equestris turba, pedestris tela secuta.
Quidlibet audet, factaq́ gaudet vindice tuta.
Æstimat aptum ducere raptum virginitatis,
Vimq́ minacem tollere, pacem lædere gratis.
Vis mala crescit, jus quia cessit, facta puellis,
Vi capiuntur, vique trahuntur cadere bellis.
Non capit ætas ut caro metas tempus amoris
Est laceratis justa voracis plaga doloris.
Pax violatis nulla ligatis lege tenetur.
Ad mala luxus turpia fluxus liber habetur.
Præsul honestus sustinet æstus vimq́ caloris.
Sacra remonstrat firmaq́ constat gemma doloris.
Vir benedictus non timet ictus vimq́ minacem.
Non timet hostes rumpere postes non dare pacem
Pectora terror sacra nec error adjuga duxit.
Iura tenaci consona paci mens pia luxit.
Iam clypeatis igne fugatis igne cremante.
Stat pater urbis jam sine turbis vi dominante.
Ecce tenetur captus habetur vir pretiosus.
Candia lictor fert quasi victor recta perosus,
Rex pie cernens, cuncta gubernans parce crematis
Caumate stratos redde beatos, fons pietatis.

Hactenus Poëta ille: inspiciat simul candidus lector Arnoldum

noldum Lubecensem magna παῤῥησία de causa hujus cladis differentem cap. xxx libri II. Verum redeamus ad Albertum Palatinum, qui in Chronico Quedlinburgensi scribitur obijsse anno MCLXXX à quo discedens Petrus Albinus obitum ejus collocat in annum MCLXXIIX. Fabricius errore crassissimo scribit obijsse M C LIII hoc enim non solum annales, verum diplomata ac Instrumenta quæ inspexi permulta, apertissimè refellunt. Præterea tota ejusdem auctoris commentatio, quæ de Palatinis Saxoniæ Originum Saxonicarum libro I exstat, admodum involuta, obscura & lubrica est, nulloque negocio ex monumentis harum regionum, quæ auctor ille aliàs diligentissimus, non inspexit, erroris convinci potest. In matrimonio Alberti fuit *Lutgardis Hennebergia*, Bertholdi IV filia, Popponis XII soror, fœmina ornatissima, cujus mater & ipsa scribitur nata ex Palatinis Saxoniæ, Bertha nomine, quæ obijt M C XC. Sterile fuit matrimonium Alberti, itaque hereditas obvenit sorori *Adelheidi*, de qua dicemus. Ludgardis autem diu post mortem mariti vixit. Nam superfuit etiamnum anno MCCXX quo fratris filio Popponi omne suum patrimonium, Mülfeldio & Masfeldio exceptis, per resignationem dimisit, neque multis post mensibus obijt. Spangenbergius in Chronico Hennenbergensi colligit, eam defuncto marito Saxoniâ excessisse, & in agri Hennenbergensis monasterio Trostatensi, anno MCLXXVII condito, Sanctimonialem egisse. In literis suis nominavit se Palatinam Saxoniæ & Sommerseburgi. Cum marito vixit ultra annos XX, post eum superfuit annis XL & amplius. Necesse est igitur cum moreretur, pene octuagenariam fuisse.

Adel-

Adelheidis Alberti soror sacris destinata est in illustri generosarum virginum collegio Quedlinburgensi ad Silvam Hercyniam. In eo ita vixit, ut Antistitis dignitatem promeruerit. Fratre defuncto comitatus Sommerseburgius ad eam devolutus est. Sed contra dixit Henricus Leo, Princeps id temporis potentissimus, qui se Palatinorum proximum agnatum, atque ex eo jure hæredem dicebat. Alheidis, sive sua sponte, sive ab aliis persuasa, Comitatum VVichmanno Antistiti Magdeburgio, Geronis Bavari, Comitis Seburgensis F. vendidit certo precio, Leone armis acriter se opponente. Qui tandem arcem Sommerseburgum funditus dirutam Baroni VVarbergio Echardo tradidit, à quo cum instaurata nonnihil esset, à Ludolfo VVichmanni successore denuo eversa est, & simul Helmæstadium & VVarberga, Baronum istorum arx hæreditaria, incendio devastata. A quo tempore Sommerseburgum penes Archiepiscopos Magdeburgios remansit, licet VVarbergij Barones, tanquam vasalli, & domicilium & aliquid præterea juris ibi habuerint, quod nunc exspirasse videtur. Cæterum pecuniâ istâ, quam à VVichmanno accepit Alheidis partim monasterium *VVandale* nuper destructum denuo instauravit; partim eam in presbyteros, viduas, aliosq; tenuioris sortis homines erogavit. Scribitur obiisse anno MCXC. Sepulta honorificè in fano S. Servatij. Habuerunt vero Palatini isti Saxoniæ præter Sommerseburgum etiam arcem *Filsleven*: quod intelligo de pago prope Ummendorfium, ubi vestigia castri etiam hodie superant. Id cum in damnum dioecesis Halberstadensis constructum videretur, Conradus à Crozuc expugnatum delevit. Habuerunt & *Levvenburgum* castrum, quod situm fuisse putatur ad Silvam Hercyniam

C prope

prope Quedlinburgum. Auctor est Ioannes VVinnistadius in Historia Halberstadensi, Albertum Episcopum Halberstadensem, Ducem Brunsvicensem hostes suos ad arcem Levvenburgum profligasse. De arce *Sevekenberge* horum Palatinorum jam ante dixi. In arce ipsa Sommerseburgia, ut hoc etiam addam, habuere sub Archiepiscopis feuda castrensia multæ familiæ equestres; Bodendorfij & Ummendorfij (quorum beneficia deinde ad Dynastas VVarbergios devenere) Scheningij, Rappij, Hornhusij, Sommerstorpij, VVackerslevij, Schusij, Spigelij. Horum omnium fit mentio in literis Baronum VVarbergiorum ad an. MCCLXXXIX. MCCCV. & MCCCIX. Et tantum de familia Comitum & Palatinorum Sommerseburgiorum.

De alijs, qui extincta hâc familia titulum istum sibi vendicarunt, non puto aliquid adijciendum. Fuere hi Fridericus Halberstadensis Episcopus, ad quem scribens Hilleboldus Comes de Limbere, eum Episcopum Halberstadensem & Comitem Sommerseburgium salutat: & Theodoricus, Dedonis Crassi Comitis Rochlizensis F. qui abdicata Præpositura in fano primario Magdeburgensi, Palatinus Saxoniæ & Sommerseburgi salutari voluit: sine re tamen. Nam VVichmannus Archiepiscopus territorium retinuit, titulum alijs relinquens. Invenio tamen successores ejus arcem Sommerseburgum alijs deinde oppignorasse: quam ut redimeret, Borchardus Archiepiscopus Unsburgum prædium Abbati Riddageshusano vendidit pro M marcis argenti examinati, anno MCCCII.

Insignia Comitatus Sommerseburgij fuere trabes octo rubeæ in clypeo albi coloris in traversum collocatæ, quæ eadem Barvvardus, Episcopus Hildesiensis, monasterio S. Michaelis, an. M. abs se fundato, usurpanda dedit. Schema familiæ

familiæ Palatinorum Saxoniæ veterum & Palatinorũ Sommerseburgiorum, Comitumq; Heinsbergiorũ, subjiciam.

Familia veterum Palatinorum Saxoniæ.

Fridericus F. Dedonis II Comitis VVethini & Merseburgensis ††† *Anno MXX. Vxor Agnes Vinariensis.*

Fridericus II Palatinus Saxoniæ constituitur ab Henrico III. relegatur ab Henrico IV. † *MLXXXIIX Vxor Heidvvigis Bavarica.*	*Dedo Palatinus Saxoniæ* † *anno MLVI.*	*Albertus Archiepiscopus Bremensis, princeps magnificus, de quo multa in annalibus M. Adami Bremensis, Alberti Stadensis &c.* † *MLXXIII.*	*Oda uxor Bertha. Alberti Comitis Sommerseburgii.*

Fridericus III cæsus anno MLXXXV. Vxor Alheidis F. Vdonis I. Marchionis Stadensis.

Fridericus Comes Sōmerseburgius.

Fridericus IV posthumus, educatus à vitrico Ludovico Turingiæ Landgravio, quem deinde bello oppugnavit. Vxor Agnes F. Henrici Ducis Limburgensis, quæ monasterio Vallis Mariæ, prope Helmæstadium, partem quartam Silvæ, quæ Lappenvvold vocatur, donavit.

Henricus juvenis moritur.	*Fridericus V. Canonicus Magdeburgensis, defuncto fratre, hæreditatem paternam occupat: sed à Nortberto Episcopo Magdeburgio, homine superstitioso, & conjugem & Palatinatum dimittere ac ad sacerdotium redire cogitur.*

Sophia uxor Hermanni Landgravii Thuringiæ, cui Fridericus Barbarossa Palatinatum tradidit anno MCLXXXI.

Familia Comitum & Palatinorum Sommerseburgensium.

Albertus Comes Sommerseburgius, cognomento Severe / sive cribellum. Uxor Oda, sive Uda, Palatina Saxonia, Friderici I. F. fœmina clarissima & devota, ut vocatur Paullo Langio pag. 774.

Fridericus I. sive Senior, primus ex hac familia Palatinus. Uxor Mechtildis. F. Theberga fundatrix cœnobii Hamerslebiensis † MCXV.

Fridericus II. sive iunior, Comes Palatinus Saxoniæ & Sommerseburgi: fundat Vallem S. Mariæ, anno MCXXXIIX. † MCLXII. Uxor Lucardis F. Rudolfi I. Marchionis Brandenburgii & Stada. In Chronico Lauterbergensi nominatur mendosè Lucbara.	*Alheidis uxor Gosvvini Comitis Hinsbergensis.*	*Iudita coniunx Ludovici Comitis Aldenhusani.*	*Agnes uxor Conradi Marchionis Brandenburgii.*

Albertus Palatinus ultimus huius familiæ obiit MCLXXIIX. Uxor Lutgardis Hennenbergia. † MCCXX.	*Alheidis Antistes Quedlinburgensis † MCXC.*

Familia Comitum Heinsbergiorum.

Gosvvinus Comes Heinsbergius.

Gosvvinus Comes Heinsbergius.
Adelheidis Palatina Sommersſcburgia.

Their children:

- *Salome uxor Burchardi Comitis Daſſilieſis.*
  - *Albeidis conjunx Adolfi IV. Comitis Schavvenburgii. Nuptiæ celebratæ Mindæ anno MCLXX.*
- *Philippus Archiepiſcopus Colonienſis electus anno MCLXVII. ſedit annos XXIV. Henrico Leoni Ducatum Angariæ & VVeſtphaliæ eripuit. Ab Henningeſio in Genealogiis errore craſſo familiæ Daßilienſis fuiſſe affirmatur. Vide de eo Chronicon Magnum Belgicum pag. 187.*
- *Mechtildis uxor Dedonis cognomento Craſſi Comitis Rochlizenſis.*
  - *Theodoricus Canonicus & Præpoſitus Magdeburgenſis, poſtea Comes Sommerſcburgius citatur in literis Archiepiſcopi VVichmanni anno MCXCI.*
  - *Philippus Scãtenſis (forte Xantẽſis) Præpoſitus.*
  - *Goſuvinus puer mortuus*
  - *Henricus puer mortuus*
  - *Conradus*
  - *Agnes uxor Bertoldi Ducis Meraniæ.*
- *Gotfridus Comes Heinsbergenſis*

Gerhardus, Catalogus Abbatum Campenſium nominat Gerhardũ, Comes Heinsbergius. Uxor Irmegardis, Theodorici Comitis Plöcenſis F. Helprici ſoror, vidua Udonis Marchionis Stadenſis. *Alb. Stadenſis p. 164. fac. 2.*

Their children:

- *Sigfridus periit in expeditione Italicæ.*
- *Uda uxor Sigfridi Comitis Ertenebürgii tui cognomen Suarii fuit.*
  - *Albeidis uxor Burggravii de Groebes.*
  - *Luderius ãuus.*
  - *Oda nupta Alberto Comiti Oſterburgio, VVerneri à Veltheim F. MCXCI.*
    - *VVernerus Comes Oſterburgius*
- *Adelheidis uxor Theodorici XVI. Clivenſium Comitis, ſingularis cœnobij Veteris campi fautrix.*

Præter istos, nullos ex familia Heinsbergensi invenio alios, nisi quod ex longiori quam sesquiseculi intervallo Chronicon magnum Belgicum pag. CCCIII. mentionem faciat *Theodorici* Domini de Heinsberg & Comitis Lossensis: quo sine liberis defuncto Comitatus Lossensis cesserit Episcopo Leodiensi Engelberto, anno MCCCLXI.

Præmissis istis, quæ minime negligi debuerunt, nunc ipsam Monasterij Vallis B. Mariæ historiam aggrediemur. Iecit ejus fundamenta quidem Fridericus anno MCXXXIIX sed ante annum MCXLVI non absolvit. Impedimenta omitto: nam fuerunt varia, & præ reliquis administratio Comitatus sive territorij ad Ecclesiam Bremensem pertinentis, quod Hartvvicus familiæ Stadensis ultimus pro hæreditate paterna possidendum quidem acceperat, sed Friderico Palatino, homini sapienti & justitiæ amanti administrandum tradiderat. Tandem absolutis ædificijs & fratribus, sive monachis ex monasterio Veteris-Campi evocatis, Rudolfus Antistes ac Fridericus fundator denuo in Valle Mariæ convenerunt, præsentibus simul multis viris religiosis & nobilibus. Ibi Palatinus novum hoc suum monasterium in honorem Dei, cultusque divini augmentum abs se liberaliter constructum, Antistiti commendavit, qui illud una cum Erpone summi templi Decano, alijsque Canonicis primarijs, in tutelam ac patrocinium Beati Stephani ac Ecclesiæ Halberstadensis suscepit, diris devovens omnes, qui res monasterij quoquo modo deteriores redderent. Dedit conventui hoc tempore Palatinus prædium Brandensleve, & quartam partem nemoris Lappevvalti: quibus alij de suo etiam nonnulla adjecerunt. Erant istius seculi homines valde proni ad ordinem Ecclesiasticum locupletandum: cujus quotidia-

nis

nis precibus, & rigorosis austerioris vitæ exercitijs, non tantum vivos, verum etiam defunctos juvari persuasum habebant. Hinc in Instrumentis donationum formulæ illæ: *Pro salute animæ nostræ: pro remedio animæ nostræ: in remissionem peccatorum nostrorum: pro parentum nostrorum requie: pro redemptione animarum carorum nostrorum: ob spem retributionis æternæ: et orationum omnium participium habeamus: intuitu divinæ & æternæ remunerationis, & ob salutarem & perpetuam animæ nostræ memoriam: pro salute nostra & antecessorum nostrorum &c.* Quæ superstitio mirum quantum religiosis hominibus profuerit! vetus illa, utpote quæ sub Gregorio Magno invaluerit. Sic enim is scribit in Evangelia: *Illa in stipendium nostrum accipimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulere.* Sed pergamus.

SERIES ABBATVM.

Primus monasterij Abbas fuit BODO, ob eruditionem in literis, & vitæ morumque gravitatem dignus habitus cui couventus committeretur. Vivebat in monasterio Amelunxbornensi, nuper illud ingressus, cum antea vixisset aliquamdiu in Collegio Veteris Montis.

Est *Mons-Vetus* cœnobium perquam illustre, situm in comitatu Marcano VVestfaliæ: fundatum anno M C XXXIII Morimundensis Abbatis inspectioni & visitationi subjectum. Huic Bodoni commissa est Vallis Mariæ, initio angusta, quod conditor Fridericus alijs rebus occupatus religiosum suum negotium expedire non posset. Vidit tamen consummationem Oratorij, & confirmationem Episcopalem impetravit, ut diximus. Præfuit Bodo ab anno MCXXIIX usque ad MCXLVII quo obijt XXIII Augusti.

Augusti. Henricus Leo in diplomate quodam vocat eum *virum religiosissimum, sibiq; perfamiliarem* fuisse affirmat. Super est in Valle-Mariæ liber in membrana scriptus, cui titulus, Flores Bodonis; continens silvam sententiarum ex optimis quibusque auctoribus Ecclesiasticis & profanis industriè diligenterque collectam. Vlricus Episcopus Halberstadensis in quodam instrumento eum fratris nomine honestat.

II. HENRICVS I. cœpit anno Christi MCXLVII. Facit ejus mentionem Eugenius III Pont. in Bulla ad annum istum, data Altisidori: in qua fundatorem Fridericum virum illustrem vocat; monasterium ipsum in suam & B. Petri protectionem recipit. Idem facit in alia Bulla, eodem anno Cistertij data, qua & alias à Friderico donationes monasterio factas confirmat. Obijt Henricus anno MCLV.

III DVDELINVS cœpit anno MCLV. Vidit tragicum exitum Lucardis, Hermanni Comitis sive Palatini VVincenburgij conjugis, quæ, ut diximus, fundatoris Vallis-Mariæ uxor fuerat. Ejus enim maritus non solum adulterij per vim perpetrati, verum & homicidij nefarij, à parente suo olim commissi justissimas tum luit pœnas. Facere non possum quin hac occasione partem familiæ VVincenburgicæ, quam observare potui, subjungam.

Herman-

Hermannus Comes VVincenburgius.

Fridericus Episcopus Monasteriensis XIX. † MCXXVII. XXX Aprilis. Ab Vrspergensi Henricus nominatur, qui addit fuisse virum natu illustrem & virtute famosum. p. 264.

Hermannus Comes VVincenburgensis militat Henrico V. Imp. & ab eo Marchio creatur. Interfici jussit Burchardum Comitem Lockenheimensem, Frisiorum praefectum: eamq; ob causam à Lothario Imp. Comitatu Thuringiae privatur castrumque VVinceburgense destruitur anno MC XXX. Cum fratre Henrico monasterium Dernburgense fundavit.

Henricus Comes Dassiliensis sive Aslotensis fundator cum fratre Hermanno monasterii Dernburgensis. Meminit eius Crancius in Metropoli lib. 6. c. 18. † Anno MCXLVI ut habent Fasti Stederburgenses. De arce Aslo vide Chronicon Schavvenburgense p. 56.

Hermannus Comes VVinceburgius citatur testis in literis Arnoldi Episcopi Moguntini anno MCXXXV. stuprat per vim nobilis cuiusdam aulici sui uxorem, & ab eo, una cum coniuge uterum ferente in cubiculo transfoditur anno MCLVI. alii MCLII. Coniunx erat Lucardis Stadensis Comitis F. primum uxor Friderici II. Palatini Sommersburgii.

Mechtildis uxor VVilhelmi Comitis Dassiliensis.

Otto, de quo Chron. Slavvor pag. 85. & Lauterbergense ad annum MCLXXIIX. Defunctus est circa annum MCLXXXVII. ut patet ex Fastis Stederburgensibus.

N. Vxor Henrici Comitis Svvarceburgii.

N. Vxor Magni Burtzii Ducis Daniae.

Heilvvigis monialis Gandesiensis.

Insignia huius familiae fuere cornua cervina lutei coloris in campo coeruleo.

Meminit Dudelini Abbatis Adrianus P. R. in bulla quadam in Laterano, anno MCLIIX data, cui adscriptum

nomen Rolandi, sedis Pontificiæ cancellarij, (græcis est μέγας λογοθέτης) qui biennio post sub nomine Alexandri III Papatum invadens Friderico Cæsari hostem & æmulum se præbuit acerrimum.

Eodem quem dixi, anno, obiit Otto Frisingensis Episcopus, ante annos aliquot Dudelino in Monasterio Morimundensi in quo uterque vivebat, amicus & necessarius. Hoc Episcopo præsente & negotium suo consilio promovente gravis illa contentio super Ducatu Bavariæ, inter fratrem Henricum Marchionem Austriæ & Henricum Leonem Saxoniæ Ducem, per Fridericum I Imp. in Comitiis Ratisbonensibus anno MCLVI decisa & sopita est. Ab hoc tempore Henricus Leo, utroque Ducatu Saxoniæ ac Bavariæ insignis, vicinis principibus non tantum formidabilis, verum etiam, suspectus esse cœpit. Frisingensis Episcopus Otto, vir fuit sui temporis doctissimus, qui Parisijs eruditus, teste Radevico, Philosophicorum & Aristotelicorum librorum subtilitatem in Topicis, Analyticis atque Elenchis ferè primus nostris finibus importavit. Et ab isto tempore, Philosophia secularis, ut loquitur Trithemius, sacram Theologiam suâ curiositate inutili fœdare cœpit. Quæ Theologia Scholastica postea diversas Scholasticorum Doctorum sectas genuit & disseminavit. Adriano P.R. ad plures abeunte, in ecclesia ortum est schisma perniciosum, duobus à dissentiente purpuratorum collegio in demortui locum substitutis. Erant illi Victor IIII & Alexander III. Cum hoc faciebant Ecclesiæ orientis, Antiochena & Hierosolymitana, & præterea totius fermè Europæ. Victorem tutabatur Fridericus Barbarossa Imp. & cum eo nonnulli ex ordinib. Imperij: respuebant & aversabantur omni-

omnino Cistertiensis familiæ monachi, & horum præsides numero circiter DCC. Mirum quantum colluvies ista animi addiderit Alexandro, quantum negocij crearit Imperatori. Noluit cordatus princeps tolerare effrenem lascivientium monachorum petulantiam, ideo, aut cum Victore facere, aut relictis ergastulis suis Imperij finibus excedere Cistertiensibus serio & severè mandavit. Pertinaces & obstinati homines magno numero in Franciam, uti tutus isti factioni receptus, exsulatum abiere. Pauci qui domi remanserunt, tempori servire rebusque se præsentibus accommodare coacti sunt. Dudelinus Mariævallensis Abbas secutus est exemplum Geronis Episcopi Halberstadensis, in cujus diœcesi vivebat, fecitque cum Victore P., à quo confirmationem omnium possessionum impetravit. Bullæ subscripserunt Cardinales VII. Data est Papiæ anno MCLX. VI. Non. Martij. Hoc autem tempore beneficentiâ & liberalitate piorum hominum facultates Vallis-Mariæ non parum creverunt. Nam & Lappevvalti nemoris altera quarta pars dono Agnetis, filiæ Ducis Limburgij, cujus supra meminimus, accessit: & Henricus Leo villam Bardeccensem dono dedit. Obijt Dudelinus 11 Maij anno MCLXII.

IV. LUDOLFUS I successit Dudelino eodem anno, & præfuit decennio. Anno ejus primo vitam finivit *Fridericus, monasterij fundator*, sepultus ibidem in choro templi. Filius *Albertus* patris funus procurans duos mansos (hac appellatione certus jugerum numerus veniebat) conventui *pro anima illius remedio*, ut ipse loquitur; super altare obtulit. Anno MCLXIV lis oborta fuit inter Ottonem Hujesburgensem & Ludolfum Mariævallensem, quam Gero Episcopus Halberstadensis composuit, annu-

ente utriusq; loci advocato, Alberto Palatino jam dicto. Factum id ad diem XI Kal. Febr. Indict. XI. Compositioni interfuere Hermannus Verdensis Episcopus, Baldevvinus præpositus & Fridericus Decanus: de ingenuis Laicis VVernerus Advocatus, Hogerus Vicedominus, Adelbertus Comes de VVernigerode, Sigfridus & Ludolfus de Svvanebeke: de ministerialibus Gevehardus de Horneberge, Ericus de Gatersleve, Volquardus de Eilenstede, Vlricus & VVernerus de Quenstidde, Hugoldus & Dethmarus fratres de Dedenleve. Eodem anno idem Albertus Palatinus donationes omnes, tam à parentibus suis Friderico & Lucardi, quàm à seipso factas denuo confirmat & stabilit. Ostendit etiam, se, qui monasterij Advocatus sit, operam daturum, ut quamdiu vita & honore per Dei gratiam fruatur, contra infestantes ei non desit. Literæ datæ sunt in castro ipsius Levvenburg an. MCLXIV. Indict. XII. IIX. Id. Martij. Ludolfus excessit è vivis anno MCLXXII.

V. ERNESTVS Ludolfo surrogatus præfuit monasterio annis IIX. Sub ipso, anno gubernationis secundo, obijt *Apel Vitztumb*, & in monasterio Vallis Mariæ sepulturæ mandatus est. Paucis ante ipsius obitū mensib. Alexander Pont. monasterium Mariævallense in tutelam sedis Apostolicæ recipit, eique bona, quæ nuper accesserant confirmat. In his erant octo mansi cum dimidio pro anima Alberti Palatini, hoc tempore defuncti. Præterea aliorum eleemosynæ videlicet Ottonis dynastæ Herbeccensis, Luthardi nobilis Domini in Meinersheim, Alberti Comitis Osterburgij, Notungi nobilis dynastæ Gaterslevij. Bulla Pontificia data est MCLXXX. Kal. Iulij Indict. XIII. Ernestus obijt XI. Novembris.

VI. AR-

VI. ARNOLDVS cœpit anno MCLXXX, quo Alexander ad ipsum scripsit, monasteriumque in tutelam suam recepit. Bulla data est Indict. XIII, quam subscripsere Cardinales IX. fuit is annus universæ Saxoniæ funestissimus. Nam Henrico Leone sub initium anni ab Imperatore Friderico proscripto, omnibusque beneficiis Imperialibus privato, armis omnia perstrepebant. Sed historia huc non pertinet. Obijt decennio à Leonis proscriptione, anno nempe MCXC, Alheidis Palatina Sommerseburgia, & Antistes Quedlinburgensis, familiam illustrem & antiquam claudens: cujus relicta hæreditas caussa fuit novorum jnter vicinos Principes dissidiorum & tumultuū, in quibus aliquid etiam incommodi sensit Vallis-Mariæ, cujus bona in territorio Sommerseburgio sita erant. VVichmannus Magdeburgensis Archiepiscopus fretus jure suo quod interventu emptionis ab Adelheide se assecutum prætendebat, Summerseburgum una cúm aliis locis invadebat, suoque Episcopatui vindicabat. Quia vero Mariæ-Vallensibus favebat, nequid isti detrimenti caperent, hoc egit, ut quæ ipsorum essent hinc inde per agrum suum & dominium hoc novum sparsa, fideliter annotarentur, & in tabulas publicas relata ipsis sarta tecta absque omni contradictione permanerent. Addit etiam aliquid de suo, nempe montana juxta castrum Seeburg, plantandis & colendis vineis apta. Huic transactioni adfuere multi proceres Ecclesiastici & Politici, & in his Rokerus Magdeburgensis major Præpositus, Ludolfus Decanus. Conradus frater Burggravij Magdeburgensis Præpositus templo B. Nicolai, Albertus Camerarius, Henricus Magister Scholarum, & Præpositus B. Sebastiani, Gero Vicedominus, Guntherus Abbas cœnobij in Iuterbock:

 Laici.

Laici, Theodoricus Comes de Sommerseburg, Theodoricus de Anvorde, & VVernerus frater ejus, Otto de Hertbeke & frater ejus Fridericus, Hildebrandus Marschalcus, Ecbertus de VVantzleve Alradus de Eckersleve &c. Actum anno Dominicæ incarnationis MCXCI. Indict. IX.

Hoc eodem anno, die Sixti Martyris, qui fuit VI Augusti, obijt *Henricus Leo*, Princeps magnanimus, monasterij Mariæ Vallensis patronus & amicus singularis. Sexto anno post, hoc est anno MCXCVII *Henricus Dux Saxoniæ & Palatinus* Rheni, Henrici Leonis F. Princeps religioni & pietati ex animo favens, in Vallem Mariæ venit, ac oppidò liberalem & munificum se exhibuit.

Hujus frater germanus Otto defuncto Henrico VI. Imp. à plærisque Germaniæ Principib. Cæsar designatus est. Isti opposuerunt alij adversarium potentem Philippum Sueviæ Ducem, defuncti Cæsaris fratrem, quem tamen Pontifex Innocentius admittere ad regnum nolebat. Philippus Imperium ambiens Ludolfo Magdeburgensi Antistiti, cujus apud vicinos auctoritas erat non parva, remiserat tributum, quod ab Ecclesia Magdeburgensi quotannis fisco Cæsareo dependebatur, ideoque eo utebatur administro in Principum Saxonicorum animis sibi conciliandis. Pertinacis & obstinati ingenij erat Antistes, quem nec principum minæ, nec Pontificis fulmen à Philippo avertere poterant. Cumque arma sumsissent novi Principes, & de summa rei ad Brunsvigam dimicaturi essent, profectus eo Episcopus cum suis copijs, in itinere Helmæstadium Abbatis VVerdinensis urbem (incertum qua injuria irritatus) obsedit, obsessam expugnavit, atque excidio & ruinis dedit. Tristissimum erat hoc spectaculum, urbem non ignobilem, quæ annos CCCCX floruerat, vicinis

cinis urbibus Magdeburgo, Goslaria, Brunſviga & Halberſtadio vetuſtior, ab homine Eccleſiaſtico, nulla præeunte offenſione graviore, miſerè inflammatam ſolo æquari. Periere tum ibi temporis omnia religioſæ antiquitatis monumenta, periêre ſtructuræ inſigniores, cives ad extremam paupertatem redacti ſunt. Præſidebat hoc tempore VVerdenæ & Helmſtadij, *Herebrandus*, ut noſtra eum monumenta vocant: ſive *Herbertus*, ut VVerdenenſib. appellatur, ex Comitib. Bergenſib. originem ducens. Inclemens ille & ſanguinarius Epiſcopus poſt hanc cladem innocenti urbi illatam non diu ſuper vixit, inopinâ morte exhilarans, quos ademtis rebus omnibus extremè contriſtarat. Sed redeo ad noſtra.

Paullo ante obitum Arnoldi, anno MCCIII. ſopita eſt controverſia, quæ ab annis aliquot fuerat inter monaſterium San-Ludgerianum Helmæſtadio adhærens, & Vallem D. Mariæ. Ludgeriani monachi aliquid juris ſibi vendicabant in ſilvam Quernhorſt. *Adalbero VVerdenſis Abbas*, ut negocium legitimè cognoſceretur, cognitum componeretur, arbitros conſtituit Ludolfum & Baldevvinum Asbecios, qui pro Mariævallenſib.; Vdonem Advocatum Helmæſtadenſem & Engelbertum Selleſſemium qui pro Ludgerianis agerent. Hi liti finem impoſuerunt. Obijt Arnoldus XVI. Kal. Octobris.

VII. IOHANNES cœpit anno MCCIII. præfuit annis XVII. Quarto gubernationis ejus anno obijt *Adelheidis* illuſtris & generoſi viri *Dedonis à Crozuc*, ſive *Croſick*, conjunx. Hæc paullo ante mortem aliquid agri legavit Valli S. Mariæ, ut pro anima ipſius preces & vota conſueta inſtituerentur. Aberat id temporis ab Epiſcopatu ſuo Conradus Epiſcopus Halberſtadenſis, Dedonis & Adelheidis F. religionis

gionis ergo Hierosolymam profectus. Qui domum reversus, cum quid mater egisset, edoceretur, donationem una cum Friderico & Guncelino fratribus Germanis ratam habuit. Erat hic annus MCCVII ordinationis Conradi Episcopi VI. Familia hæc *Crosiciorum* olim inter ordinem Dynastarum illustrium, sive Baronum, locum habuit, deditque aliquot Sacro Romano Imperio Principes ecclesiasticos: de quibus quantum in tabulis sive literis, alijsque monumentis fide dignis invenire potui, hoc loco subjungam.

Dedo ejus nominis I. nominatur in Chronico Pegaviensi ad annum MCXVII. Scribiturque quod à VVigberto Comite Groicensi in exilium ejecto, rogatus sit, ut in aliquod municipium suum exulantem reciperet: quod factum est. Reliqua ibi legantur.

Hujus Dedonis, qui ad summam pervenit senectutem, duo fuerunt filij, *Dedo* II. & *Theodoricus* I. Nominatur Dedo ad annum MCLXXXIIX in literis Theodorici Episcopi Halberstadensis: neque de eo quicquam inveni amplius.

Theodoricus propter eruditionem morumque elegantiam ex primarij templi Canonico electus est Antistes Halberstadensis, anno MCLXXXII præfuitque ad annum MCXCIII. Meminit ejus, ut patrui, Conradus Halberstadensis Episcopus in literis anno MCCII. V. Maij datis, his verbis: *Omnibus etiam notum fieri volumus Dominum Theodoricum beatæ memoriæ nostrum prædecessorem & patruum &c.* Idem testatur Chronicon San-Petrinum ad annum MCLXXX.

Dedo secundus ex Adelheida conjuge reliquit *Conradum*, *Fridericum*, *Guncelinum*, *Bertradin & Gertrudin*.

Conradus à religiosis parentibus missus est ad patruum Theodoricum, à quo domi ad omnem pietatem & modestiam

stiam assuefactus: publicè non minori diligentia à Canonicis lectoribus in omni liberali doctrina institutus est, In Camerario electus cum esset majoris fani Præpositus, singularis prudentiæ & pietatis famam apud omnes habuit. inde factum, ut Gardolfo Episcopo Halberstadensi, ex Dynastis sive Baronibus Harbeccensibus oriundo, nono gubernationis suæ anno defuncto, eidem Ecclesiæ Antistes præfectus sit. Multa de ejus pietate, de studio promovendi cultus divini, in literas relata sunt. A Ludolfo Archiepiscopo Magdeburgensi consecratus est. Swanbeccios Dynastas lascivientes, & protervius se ipsi opponentes compescuit. Versus Hierosolymam iter instituens, tam in Bohemia, quam Venetijs ac in Palæstina honorificè excipitur, comiterque habetur.

Redux ex isto itinere Romam abijt, ibiq; ab excommunicatione, quam incertum ex qua causa incurrerat, à Papa absolvitur. In monasterijs novis extruendis, collapsis instaurandis nemini secundus fuit. Adempta Episcopatui recuperavit: præcipuè Oschersthlebium arcem & opidum. Laborum in munere arduo & difficili pertæsus Episcopatum resignavit, seque in monasterium abdidit Sittenbachense, vulgò Sichem vocant, familiæ Cisterciensis. Revocabant eum ab hoc instituto Canonici, revocabat Pontifex Romanus, sed frustra. Facta sunt hæc anno MCCIX. In monasterio supervixit annis XVI. adhibitus ad multa negocia Ecclesiastica, puta Episcoporum electiones, templorum dedicationes, monasteriorum visitationes reformationesque. Obijt MCCXXVI. Kal. Julij. Titulo usus est sequenti: *Conradus Episcopus & monachus in Sichem.*

Vidi literas Conradi hujus, Episcopi & monachi in

Sichem, in quibus adducuntur hi testes: Anshelmus major Præpositus, VVernerus Decanus S. Bonifacii, Conradus Camerarius, Gardolfus Vicedominus, Fridericus de Kirchberg, Burchardus de Sladem, Ludolfus de Hessenem, Gevvoldus de Amvorde, Otto de Tobin, Anno de Dromtorp, Almarus de Bommeneborg, Olricus Scholasticus, Ludolfus Advocatus major & frater ejus VVernerus de Duselitz, Sigfridus Burggravius de Arenberg, VVernerus de Lichtenberg, Arnoldus de Scherinbeke, Otto de Svvanebeke: ministeriales, Cæsarius præfectus, Gevehardus de Alvensleven, Hugoldus & Fridericus de Quenstidde. Datæ anno MCXC. Indict. IX.

Gunzelinus retinuit paternam hæreditatem. Feuda quæ ab Ecclesia Halberstadensi tenebat, vendidit, Balduino Dalemio, curiæ Ducis Brunsvicensis Advocato, qui deinde ea legavit monasterio Riddageshusano. Mortuus est eodem anno, quo ipsius frater Conradus, quondam Episcopus, tunc verò monachus, sed ita ut ipsum præcederet. Matrimonium ejus ignoratur: filium tamen reliquit *Albertum*, qui sacris initiatus, Halberstadii Canonicum egit. Vixit anno MCCXLIV.

Bertradis educatur in monasterio Imperiali Quedlinburgio, ubi, cum Sophia Abbatissa, Friderici Comitis Brenensis F. propter enormia delicta quorum à vicinis dynastis rea agebatur, ab officio remota esset, ipsa Abbatissa eligitur anno MCCXIV.

Gertrudis mittitur in monasterium Gerenrodense ibique monialem egit.

Et tantum de his ex familia Croficia oriundis Principibus: superest ea adhuc & inter Equites relata, viros marte togaque præstantes progignit. Schema Genealogicum eorum, de quibus egi, subnecto.

De-

Dedo I à Crozuck.

Dedo II à Crozuck	*Theodoricus I Episcopus Halberstadensis.*

Conradus I Episcopus Halberstadensis.	*Gunzelinus à Crozuck*	*Bertradis Abbatissa Quedlinburgica*	*Gertrudis monialis Geremrodensis.*

Theodoricus II Monachus San-Petrinus. Fuit ei multum negocii cum eius loci Præposito Theoderico homine perversi ingenii.	*Conradus II nominatur in Chronico San-Petrino.*	*Albertus Canonicus Halberstadensis.*	*Ioannes nominatur in Chronico San-Petrino.*

Sed pergamus ad nostra. Anno MCCVII. Conradus & Hildeboldus fratres, Comites de Limbere, monasterio Mariæ Vallensi donarunt mansos in Eilsleve, quos jure hæreditario à proavis ad se devolutos possidebant.

Anno MCCXIIX. Ioannes Abbas fuit Commissarius & judex una cum Ottone Scheningensi & Ludolfo Hamerslebiensi Præpositis, inter monasterium Riddageshusanum & rusticos in Sceppenstede, designatus ab Alberto Archiepiscopo Magdeburgio & Friderico Halberstadij Episcopo, tulitque sententiam quam cum parvi penderent monachi, composita tamen tandem est lis, interveniente simul Abbate Amelunxbornio, nonnullisque alijs. Sub hoc Abbate sepulta est in cœnobio MariæVallensis *Alheidis*, mater Conradi Episcopi Halberstadensis.

Obijt Ioannes Abbas anno MCCXX.

IIX. GOTFRIDVS primum Cellarius fuit anno MCCXII.

MCCXII. deinde Prior. Abbas electus est anno MCCXX vix biennio præfuit.

IX. HENRICUS II cœpit anno MCCXXII. & quadriennium monasterij clavum tenuit. Reperi Camerarij munus administrasse circa annum MCCVII. Controversia tertio regiminis anno ipsi fuit cum rusticis Makkendorpijs & Graslebiensibus. Res à Conrado Episcopo Portuensi delata est ad arbitros, Albertum Abbatem Lutterensem, VVernerum de Hamersleven, & Ottonem de Scheningen, qui causa rite cognita pronunciarunt pro Abbate & monasterio. Ex hac vita in meliorem commigravit anno MCCXVI.

X. CONRADVS I. eligitur anno MCCXXVI. Præfuit diu ac benè. Anno MCCXXXII Helmestadenses Scabini in literis suis testatum faciunt, *quod fratres MariæVallenses* (utor Scabinorum verbis) *opinionis suæ, per sanctæ conversationis studia bonum odorem longe lateq; spargant, & ab omnibus, qui eis vicinitate junguntur, honore simul & amore digni habeantur: Ideoq; ut laborum ipsorum meritis subleventur, dant eis permissione sua, ut quicquid intra terminos suæ civitatis donatione vel emptione conquisiverint, sive domos aut areas, liberè possideant, & suscipiant, nihil eorum, quæ jus civile requirit, exsolventes.* Anno Octavo, ex quo cœperat, Iudita, sive Iutta, nobilis & generosa fœmina, Ottonis Dynastæ Harbeccensis vidua, una cum liberis suis, decimas agri Dudenrodensis, quas feudi nomine tenebat ab Episcopo Halberstadensi, MariæVallensibus donavit. Donationi consensit Episcopus Fridericus in Halberstad, testes citans Burchardum Vicedominum, Fridericum Comitem de Kirchberg, Hattonem de Bivvende, VVasmodum militem de Hartbike,

bike, anno MCCXXXIV. Pontificatus sui XXIV.

Est autem *Harbeccum* dioecesis Magdeburgensis Arx non ignobilis, hæreditario jure ad familiam hodiè Veltheimiam pertinens. Antiquitus paruit Baronibus, sive illustribus Dominis, qui ab illa nomen & titulum usurparunt. Reperi ex ijs sequentem in diplomatis seriem.

Fridericus de Harbeke anno 1147.

Gurdolfus ex Decano templi primarii Halberstadensis Episcopus, præfuit annis cum laude. templum D. Martini Halberstadii inchoavit. Hornburgum arcem perfecit. Obiit MCCI. XX. Augusti.

Otto vir nobilis de Harbeke patronus monasterii Mariævallensis, anno MCC. Uxor Iudita illustris fœmina vixit ad huc anno MCC XXXIIX.

Hermannus nobilis Dominus de Harbeke anno MCC. vixit adhuc anno MCCXXVI.

Henricus.

(Children of Otto:) *Hatto vir nobilis de Harbeke anno MCCIIX.* — *Iudita.*

(Children of Henricus:) *Bruno anno MCC LXXXIII.* — *Conradus anno MCCXCIV.*

Anno MCCXXVII. Alexander à Sliestede dedit monasterio Mariæ Vallensi tres mansos, quos ab Ecberto & Borchardo Asseburgijs jure feudali possidebat. Biennio post Ludolffus Episcopus Halberstadensis venit in Vallem D. Mariæ, sibique memoriam, ut vocant, ibi comparavit, anno Pontificatus sui IIII. Erat is Comes dynastiæ Sladensis, supra Hornburgum ad Ocrum fl. sitæ. Partem ejus familiæ addo.

Henricus Comes à Sladem. 1231.

Ludolfus Ecclesiæ Halberstadensis Canonicus anno 1228. Præpositus VValbecensis anno 1234. Episcopus anno 1237. Obiit 1241. gubernationis 4.	*Henricus Comes Slademius 1239.*
Ludolfus Episcopus Halberstadensis cœpit anno 1254. propter Simoniam dignitate privatur anno 1256. mansit tamen in Collegio Halberst. & adhuc anno 1285. in vivis fuit.	*Henricus vixit anno 1242. Hic Munchenaumburg exussit. Vide Chron. Querfurt. pagina 286. vixit adhuc anno 1252.*
	Henricus II. à nonnullis creditur ultimus fuisse familiæ de quo nihil adfirmo.

Insigne huius familiæ fuit Leo albus in campo rubro.

Anno MCCXLII. Vidua Conradi de Suselitz, consanguinea Ludolfi Episcopi Halberstadensis, de consensu filiorum suorum, Everardi & Conradi vendidit monasterio Mariævallensi quatuor mansos in Botgermersleven. Venditionem Episcopus Halberstadensis ratam habuit, præsentib. viris nobilib. Theodorico de Meinersheim, Hermanno de VVerberg VVernero de Suselitz, Pontificatus sui anno 11. Eodem anno Kal. Iunij à jam dicto Episcopo, qui erat Menihardus Transfeldius, negociorum quorundam causa ablegatus est in Vallem Divæ Mariæ *Ioannes Semeca*, summi templi Halberstadensis præpositus, una cum Burchardo Vicedomino & alijs Canonicis. De hoc Semecâ, viro sui temporis illustri per hanc occasionem dicam aliquid, tum ut ejus memoria apud nos extet, tum ut à calumnijs invidorum innocentem liberem. Natus

est

eſt Semeca in agro Halberſtadenſi, parentib. plebeiis, patre ſutore. Quia vero ingenio valebat, artibus illud excoluit, tantumque in ijs profecit, ut maturè munus docendi in Eccleſia ei demandaretur. Cumque præter iſtos labores cathedrarios alia etiam negocia expediret fideliter, ex Canonico factus eſt Decanus; in quo munere cum ſpem collegarum compleviſſet, Meinhardo majore Præpoſito ad dignitatem Epiſcopalem evecto, ſucceſſor datus eſt. Hæc res urebat nonnullos, qui in eo faſtigio hominem contemptæ originis inviti & dolentes conſpiciebant. Erant hi Cono Depholdius, Volradus Kirchbergius, Conradus Cranichfeldius, VViggerus Bilſtenius, Henricus Reinſteinius, Bartoldus Klettenbergius, Chriſtianus Stolbergius, Canonici templi primarij, illuſtres ſanguine & natalibus omnes. Sic enim mos erat iſtis temporib., ut virorum principum liberi, in ſcholis prius eruditi, ad beneficia iſta, ſive Sacerdotia primaria eveherentur: inferiora enim plebeiis relinquebantur. Semeca invidia deflagrans, magno animo illam contemſit, conſcius ſibi eruditionis non vulgaris, cui proximè & ſecundum Deum confidebat. Nec deſiit æmulos exagitare, vel ridere ſalsè, quoties doctrinâ iſto honore & munere dignâ deſtituerentur. Iuri Pontificio quod totum ſe tradidiſſet, Decretum Gratiani explicandum ſibi ſumſit, illudque Herculeâ, ut loquitur Crancius, audaciâ gloſſare aggreſſus eſt, quas ejus vigilias ſequentibus temporibus emendavit & ſupplevit Bartholomæus Brixienſis. In craſſiſſimis tenebris regni Antichriſti vidit aliquid lucis Evangelicæ. Nam cum in pago VVaterleve novum idolum à ſuperſtitioſis ſacrificulis adorandum proponeretur, magnusque incautæ imperitæque plebis eò confluxus eſſet, panem iſtum ſacrum

ſive

ſive hoſtiam, quam miraculoſè ſanguinem ſtillaſſe prædicabant, ſacrificulo cuidam manducandum præbuit: calicem vero, qui ſanguinem exſudantem exceperat, pilæ cuidam templi ſummi, quod à fundamentis exſtruebat, includi præcepit: Adfirmans, non ut adoretur, ſed ut edatur, cæleſtem illum cibum nobis exhiberi. Remiſſos & pigrantes collegas coarguit graviter, fruſtra eos ſuas vices alijs demandare dicens, quòd regula illa Iuriſperitorum *quod quis per alium facit, per ſe feciſſe videtur;* hìc locum non inveniat: Deum à ſingulis vitæ actæ adminiſtratique muneris commiſſi rationem repetiturum. Succeſſit ei in officio Hermannus Anhaldinus, qui anno MCCXLVI. Præpoſitum egit. Obijt igitur Semeca aut hoc ipſo aut præcedente anno, quòd adfirmat Chronicon Ioan̄is VVinnigſtedij MS. Corruit igitur quod Crancius affirmat, dignitate eſſe privatum à Clemente IV Semecam: & hoc quidem ideo, quod pro libertate & immunitate ordinis Eccleſiaſtici in Germania, à quo decimas omnium proventuum in uſum belli ſacri Papa exigebat, & voce & ſcriptis cordate & acriter pugnaſſet. Clemens enim anno MCCLXV. Pontificatum inijt, fuitque in eo annos III. menſes IX. dies XXV. cujus tempore ſemper invenio Præpoſitum Hermannum Anhaldinum, cujus antea memini, non vero Ioannem Semecam, id quod ex multis tabulis ſive inſtrumentis obſervavi. Fortè quæ tribuuntur Clementi IV ad Innocentiam IV referenda ſunt, ut ſit lapſus memoriæ in Crancio. Multa annotata ſunt de Semeca alia: & in his quod templum primarium ſive Dominicum, quod adhuc viſitur magnificum ſuperbumque, extruxerit: urbem Halberſtadium muro circumdederit: quæ omitto. Obitum tantum, qui tragicus narratur, adijciam, nempe quod nigromanticus

ticus esset, & magicis artibus nimium indulgeret, fulminè ictum cœlesti miserrimè conflagrasse : quod totum ego fabulosum puto, confictum ab æmulis, Papæ assentatoribus, quibus hic testis veritatis ex medijs tenebris ad lucem veritatis anhelans, sese opponebat. Mausoleum ejus adhuc visitur ad latus meridionale Presbyterij sive chori; in quo imago ejus habitu Canonici incisa conspicitur. Quod si tali ut perhibetur, tamque funestâ morte perijsset, forte ei tantum honoris non fuisset tributum. Versus Epitaphij, qui ibidem exstant, sunt hi:

Est, erit, atq; fuit, qui desiit esse, Iohannes:
Dogma viget, viguit, florebit omnibus annis.
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum,
Hic jacet, & placet, ut vacet à pœnis miserorum.

Hactenus de Ioanne Semeca, redeo nunc ad Conradum Mariævallensem. Is existimabat sibi suoque cœnobio aliquid juris esse in monasterium Isenhagense nuper fundatum. At Agnes Palatina, Henrici Saxoniæ Ducis & Comitis Palatini Rheni vidua adhuc superstes, edito scripto liquidò testatum fecit, falli Conradum : nihilque ipsi juris esse in Isensagen : sed subesse cœnobio Riddaghusiano. Subjungo partem Epistolæ : *Hanc ergo literam testimonialem nostram valere volumus & habere robur irrefragabile contra Abbatem Vallis Mariæ, suosq; monachos, ut si in posterum aliquid sibi in prædicto loco competere, vel ad se aliquo modo pertinere, dicere præsumserint, certum atq; indubitatum teneat omnis auditor, eosdem nobis & Abbati suisq; fratribus in Riddageshusen injuriari apertissime, & venire contra eam, quæ falsum non recipit, simplicissimam veritatem.* Datum anno gratiæ MCCXLVI.

Hoc tempore vivebat in Conventu Mariævallensi

Bernardus, Bartoldi Equitis aurati F. ex illustri *VVodensvvegiorum* familia descendens. Ioannis patruus, Bartoldi & Iordani frater.

N. N.

Bartoldus 1206. — *Iordanus.* *Bartoldus.* *Bernhardus monachus Mariævallensis 1246.*

Ioannes citatur in literis Ottonis Comitis de Lapide & de Gribene anno 1200 & 1210.

Ex eadem familia VVodensvvegiorum illustrissima (sic enim loquuntur Annales MS. Magdeburgenses) prodijt jam ante Gero Archiptæsul Magdeburgicus V. electus anno MXII. natus patre Dedone VVodensvvegio, matre Elica, ipse *præsul optimus, terror male potentum, exemplar benevolentium, egregius pietate, & qui omnia vellet ad perfectum ducere*, ut habent Annales ijdem.

Obijt Conradus Abbas anno MCCXLVII. Otto Dux Brunsvicensis nominat eum amicum suum dilectissimum.

XI. LVDOLFVS II cœpit anno eodem, quo decessit antecessor. Gubernationis ejus anno tertio dissipatum est Collegium Mariævallense, monachis in vicina ejusdem ordinis monasteria ablegatis. Ei rei causam præbuit Otto, nobilis Dominus Hadmerslebius, qui prædiū Mammendorfianum invadens, ædificia ejus exussit, supellectilemque omnem secum asportavit. Historiam descripsit Reinholdus, tunc temporis Monachus & Diaconus, post annos aliquot Abbas Mariævallensis. Anno MCCLII. VVilhelmus Romanorum Rex designatus, Brunsvigæ apud socerum agens, VallemMariæ in protectionem & tutelam S. Ro-

S. Romani Imperij recipit. Confirmat ipsis etiam omnes largitiones *providas* & *commendabiles*, factas tum ab Alberto Duce Brunsvigio, ejusq; antecessoribus, tum ab alijs pijs hominibus. Diploma datum est VII Kal. Febr. Indict. X.

Eodem anno Theodoricus, nobilis Dynasta de Amvorde, æmulatus majores suos, qui ut ipse loquitur Vallem Mariæ intimè dilexerunt, monasterio aliquid agri assignat. Soror ejus germana, sacerdos maxima in collegio Quedlinburgensi donationem fratris sui ratam habuit. Arx hujus nominis superest hodie, subdita nobilissimæ Asseburgiorum familiæ, vulgoq; Amfurt dicitur.

Wernerus de Amvorde anno MCCXXII. commutat quosdam agros in Siersleven cum Abbate Mariævallensi Henrico.

Fridericus de Amvorde 1252.	*Theodoricus 1252.*	*N. Abbatissa in Quedlinburg 1252.*

Anno proximæ insequenti Dux Albertus antedictus monasterio facit potestatem piscinæ cujusdam faciendæ in nemore Asbruch.

Post triennium Ludolfus Comes Dassiliensis, Bernhardi ex Anna Homburgia F. aliquid legavit monachis Mariævallensibus, ut utriusque parentis, fratris, omniumque antecessorum sive majorum suorum memoria ibi peragatur. Testis literis adducitur Ratherus Abbas Amelungsbornius. Datæ sunt XI. Kal. Febr.

Hoc eodem anno Obijt Ludolfus.

XII. THEODORICVS ex Camerario electus Abbas, auspicatus est regimen anno MCCLVI. præfuit annis X. A Volrado Kranichsfeldio Episcopo Halberstadensi nominatur *Servus fidelis & prudens circa talentum sibi creditum,*

tum, operando, & superlucrando. Bona monasterij non parum amplificavit. Nam anno MCCLVII decimas agrorum ad villas Merdorf & Rottorf comparavit sibi à Ludolfo Esbeccio, equite aurato. Tenebat ille decimas à Friderico Comite Kirchbergensi, Rottorfienses à Gevehardo Comite VVernigerodio, tanquam vasallus: qui ambo venditioni consenserunt. Sequenti anno ab Haltone Dynasta Harbecensi emit decimam Vogelbecensem hodie Wölpfe. Eodem tempore Albertus Dux Brunsvicensis omnes donationes, hactenus diversis temporibus factas, inter Mariavallenses monachos & possessores pagi Emmerstadiani, confirmavit. Hi erant Gevehardus & Henricus Scoderstedij, Ludolfus VVendensis, Gevehardus Berveldius, Ioannes & Hermannus Brunsrodij, & demum Abbas VVerdinensis Albero. Hi omnes cum jus suum, quod in pagum Emmerstadium habuerant, hactenus, vendidissent, Dux prædictus monasterio totum pagum addicit, exceptis tantum bonis quæ Templariorum Supplinburgensium erant, & plebani Helmæstadiensis.

Anno MCCLXII ab Hermanno & Conrado Baronibus VVarbergijs emit possessiones nonnullas, sive fundos sitos Neosteti prope Auslebium pro quingentis marcis. Emptioni testes adfuerunt Conradus Comes VVernigerodanus, Conradus Dominus Dorstadij, avunculus Baronum VVarbergiorum, Luthardus Dominus Meinershcimius &c.

Anno hunc sequente VValterus & Ludovvicus, nobiles Domini Dorstadij vendiderunt monasterio Vallis loca quædam sita Offendorpij in agro Luneburgensi. Cum hoc modo cœnobium suum & fundis & annuis reditibus ditasset Theodoricus, pie in Christo obijt, sempiternam

sui

sui memoritam apud conventum relinquens, anno M CCLXIV.

XIII. REINHOLDVS surrogatus est Theodorico eodem mense Septembri, quo ille obijt. Fuit homo pro conditione temporum doctus, laboriosus, controversiarum arbiter æquus & prudens, pater familias ac oeconomus diligens. Monasterium ingressus est anno MCCXLIII anno MCCLVII fuit cellarius, & deinde propter eruditionem Novitiorum Magister. Multa pro monasterio utiliter & industrie egit, antecessori suo in omnibus simillimus. Priorem habuit Hildebrandum ab *Vtesse* sive *Vtze* hominem doctissimum: cui anno MCC LXIX defuncto successit Conradus de Sunstidde, Bartoldi equitis aurati filius, qui adhuc vixit anno MCC LXXX. Anno M CC LXIV, lis Reinholdo fuit cum Burchardo Decano VValbeccensi super nemore quodam sito inter VValbeccam & pagum Grasbeke, quæ tamen mox sopita fuit.

A Burchardo, Ecberto & Hermanno, Burchardi Dynastæ VVolfebutelensis filijs emit dimidiam partem decimarum agri Hamerslebiensis, quam jure beneficiario à Volrado Antistite tenebant. Consensit iste huic emtioni, quæ facta est anno MCCLXIIX.

Anno sequenti Balduinus à VVenden, eques torquatus aliquot jugera agri in campis VVackerslebiensibus Valli S. Mariæ donavit. Consensit Ioannes Dux Brunsvicensis. Quinquennio post Erlevvinus Vmmendorfius, Ecclesiæ Magdeburgensis, ut se nominat, ministerialis, aliquot mansos donat Valli Mariæ. Filij ejus, Bernardus & Conradus his bonis renunciarunt: Idem fecit Iutta conjunx & filiæ duæ ejusdem cum matre nominis. Factum hoc est Sommersburgi, præsente Conrado Antistite Magdeburgio.

gio: cui aderant Conradus VVernigerodanus, VValterus Barbojensis, Henricus Blancoburgius, Henricus Reinsteinius, Comites, Richardus Alvenslevius Dapifer Episcopi, Hildebrandus Bartenslevius, Conradus de Seehusen, &c. MCCLXXIV. Anno Pontificatus Episcopi VI. Eodem anno Fridericus Comes Falcosteinius pro salute animæ suæ aliquid agri apud VVackerslebiũ obtulit cœnobio.

Anno MCCLXX. Cistertienses monachi quos Annales ab habitu Griseos appellant, in Concilio Cistertiensi generali Cistertij congregato, decretum fecerunt, ne inposterum fraterculi mendicantes, qui se minores vocant, in Cistertiensis ordinis cœnobijs, prædijs vel curijs admitterentur, sed hospitium ipsis omnino denegaretur. Caussam huic severiori decreto Paullus Langius suspicatur dedisse Lugdunense Concilium in quo Gregorius x. P.R. ordinem mendicantium excrescentem ad duos redigere conatus est. Annales Colmarienses aliam afferunt causam, nimirum Abbatem quendam Cistertiensem à Minoribus in carcerem conpactum, dirisque supplicijs ex carnificatum, reique istius indignitate motum universum ordinem adversus minoritas tanta acerbitate usum, ut præter hospitium denegatum, neminem etiam suorum sacris, quæ isti celebrarent, interesse voluerint. Sunt qui odium ab habitu cinereo natum velint, quem cum usurpassent hactenus Cistertienses, tum assumpserint Franciscani: unde adversus hos illorum invidia. Hoc eodem anno Comites Barbojenses, Mariævallensibus monachis vendiderunt Curiam, quam habebant Magdeburgi. Contractum Archiepiscopus Conradus & Capitulum ratum habuerunt. Eodem pariter anno Beatrix Vidua Friderici, Comites & Burggravij Kirchbergij, ValliMariæ aliquid legavit. Partem

tem familiæ Kirchbergiæ, quæ olim potens & ampla fuit, ex literis ac monumentis historicis, collectam, adscribam.

Fridericus Comes Kirchbergius vixit anno MCLXXX. fuit incentor belli istius funesti, quod inter Conradum Archiepiscopum Moguntinum & Ludovicum Thuringiæ Landgravium gestum est. Periit misere in Comitis Erfurdensibus anno MCLXXXIV.

Hoc editi sunt *Fridericus*, & *Volradus*. *Fridericus* Halberstadij Canonicum egit, neque de eo plura invenio.

Volradus ditionem paternam gubernavit, & filios reliquit *Fridericum*, *Rudolphum & Conradum*. *Fridericus* multis sui temporis Principibus gratus fuit, passimque negotijs publicis adhibitus est. Inveni nomen ejus citatum in literis Meinardi Episcopi Halberstadensis anno MCCLI. Ottonis Ducis Brunsvicensis anno MCCLII. Volradi Episcopi Halberstadensis anno MCCLVII. Ludolfus ab Esbeke decimam in Runstede ab eo jure feudali tenebat, quam cum Domino feudi resignasset, interventu precum & precij pervenit ad Monasterium Montis D. Mariæ prope Helmstadium anno MCCLVII. *Rudolfus* sacris initiatus Halberstadij Canonicum egit, siquidem ad Portenarij, quæ ejus loci usitata est, dignitatem ascendit. Fit ejus mentio in multis literis Episcopalib. Vixit adhuc anno MCCLVII. *Volradus* Hildesiæ primarij templi Canonicus fuit. Friderico ex Bertha conjuge geniti sunt *Henricus*, *VVernerus*, *Hermannus*, *Fridericus*, *Burchardus*, *Gisela*, *Lucardis*, *Sophia*.

Henricus Comes Kirchbergius, eques auratus citatur in literis fundationis cœnobij, quod olim Alberoda, nunc Reiffenstein appellatur, anno MCCLXII. Humana reliquit anno MCCXC. sepultus in monasterij Ilfeldensis ambitu cum tali Epitaphio:

Hac-

Hæc sunt in fossâ de Kirchberg nobilis ossa.
Henrici Comitis, Deus ipsum suscipe mitis.

VVernerus vixit in aula VVilbrandi Archiepiscopi Magdeburgij anno MCCXLIIX. *Hermannus* & *Fridericus* tantum nominantur, ut etiam *Lucardis* & *Sophia*, ad annũ MCCLXVI. *Burchardus* Burggravius Kirchbergius, rediens ex hastiludijs Mersburgensibus, solemnitate summâ habitis, submersus fertur in Sala amne cum tribus ministris; de quo nihil affirmo. Factum dicitur anno MCCLXIIX.

Gisela nupsit illustri & nobili viro VVernero, Dynastæ Scernebecensi, Friderici Halberstadensis Episcopi Prætori, sive ut loquuntur, Sculteto, eique peperit *Gertrudin* filiam.

Henricus Kirchbergius reliquit filium Ottonem, Seniorem cognomento, qui anno MCCXCIV monasterio Posaugiensi hortum, sive pomoerium; & anno MCCCI jus patronatus Ecclesiæ Brisevicensis donavit. Hujus ditionem Erfurdienses ferro et flammis vastarunt, Kirchbergio & VVintbergio arcibus funditus excisis quod factum anno MCCCIII. Reliquit filios *Ottonem Iuniorem*, *Albertum & Hartmanuum*, qui donationes à parente factas suo assensu confirmasse scribuntur, unde à Posaugiensibus monachis in fraternitatem adscribi meruerunt.

Hartmannus factus est Canonicus Halberstadiensis. Citatur in literis Friderici & Everhardi nobilium de Suselitz anno MCCCXCI.

Insigne Comitatus Kirchbergiani est fœmina Mauritana, nigro habitu induta, gerens manibus infulam Episcopalem.

Plura de hac familia non habeo: in Vallem igitur Mariæ revertor. Ei bene fecit circa hoc tempus Bertradis Abbatissa

batissa Quedlinburgensis, aliquot agri jugera Collegio offerens. Erant cum illa tum Alheidis Præposita, Mechtildis Spiegelbergia Decanissa, Heidvvigis custos, anno MCCLXXX.

Anno MCCLXXXVII. *VVernerus, Gardolfus & Otto* fratres, *Ottonis* filij, Domini in Hadmersleven recordati damni illius, quod ante XXX annos parens ipsorum MariæValli intulerat, ut monachos placarent, pœnamque perpetrati sacrilegij à se suisque posteris amoverent, monasterio duos mansos in agro VVegerslebiensi dono dederunt.

Otto nobilis Dynasta Hadmerslebius, homo inquietus & turbulenti ingenij, anno 1251.

VVernerus 1287 vixit adhuc anno 1303.	*Gardolfus qui alibi Garduinus nominatur 1293. vixit adhuc 1308.*	*Otto iunior 1287.*
|		
Alheidis 1290.		

Triennio post Rudolfus Imp. ad judices & Capitaneos agri Saxonici scribens, hortatur eos, ut monasterio VallisMariæ secundum pacem Erfordiæ sancitam, securitatem præstent.

Reinholdus vero, postquam hoc modo Collegij sui bona amplificasset, exercitia monachorum, cultumque divinum omnem ordinasset, ac totis XXXIIX annis non tantum præfuisset, sed profuisset, vitæ laborumque satur, anno MCCXCII. XXVII. Octobr. ex hac mortali vita emigravit, sepultus in domo capitulari, cum hoc Epitaphio:

Anno Milleno, trecenteno, minus uno,
Transiit à seclo, qui jacet hoc tumulo.
Annis in Domino bis denis sedit & octo.

G XIV. EBER-

XIV. EBERHARDUS fuit Supprior anno MCCLXXX. Prior anno MCCXC. Antecessori suo successor datus est, cum ille adhuc viveret, sed senio curisque haustus decumberet. Statim post electionem emit tres mansos in VVegerslebio ab illustribus & generosis viris, Domino *Henrico*, *Hervvico* & *Annone Annonis filiis*, *Heimburgiis*, cui venditioni assensum præbuit *Anno*, filius *Henrici*, dictorum fratrum patrui. Illustrem hanc familiam, quæ olim inter Barones Saxonicos locum, & multa ad sylvam Hercyniam & circa Scheningam bona habuit, quæ partim Brunsvicensium Ducum, partim Imperij feuda fuerunt, ex antiquis tabulis, diplomatis & literis publicis congestam, Aschio Heimburgio, Canonico Hildesiensi communicavi. Heic partem tantum subjungam.

Heilvvigis.	*Anno nobilis de Heimborg.*	*Sigfridus de Heimborg 1146.*	*Henricus monachus Benedictinus Magdeburgi.*

Sigfridus 1176. Citatur in literis Henrici Leonis. Obiit 1199.

Henricus eques auratus. Vxor Iutta Gaterslevia.	*Anno, eques auratus, Dapifer Ottonis Brunsvicensis 1252. Vxor N. à Meinersheim.*

Nicolaus fuit anno 1250. in aula Vlrici Comitis Reinsteinii. Citatur in literis Volradi Episcopi Halberstadensis 1257.	*Lippoldus 1236.*	*Ioannes.*	*Cunegundis 1230.*	*Alheidis.*

Henricus magister Ordinis Teutonici in Livonia 1245.	*Anno, Canonicus Halberstadensis. Citatur in multis literis Volradi Episcopi Halberstadensis ab an. 1257. usq; ad annum 1293.*	*Heino nominatur in literis Ottonis Ducis Brunsvicensis anno 1250.*

Anno

Anno, uxor ejus N. ab Osingen, Henrici. F. *Henricus 1270. Bia.*

Henricus. Heilvvigis. Conradus. Anno. Anno eques, Cunegundis VVarbergica 1306. Henricus obiit an. 1287.

Anno MCC XCVII. Hermannus Antistes Halberstadensis, ex Comitibus Blancoburgijs natus, cum Abbatibus monasteriorum VValkenredensis, Mariæ Vallensis, Riddageshusani, quos in jus vocarat, in gratiam rediit, condonans illis quicquid jure posset poscere. Literas ejus semel atq; iterum, diversis in locis mihi exhibitas adscribam integras. *Hermannus Dei gratia Halberstadensis Ecclesiæ Episcopus, venerabilibus ac religiosis viris, VValkenrede, Vallis S. Mariæ, Riddageshusen, & Lapidis S. Michaëlis monasteriorum Abbatibus, ac eorundem conventibus suam gratiam. Specialis illa dilectio, quam circa ordinem vestrum nuper habuimus, nec non voluntatum vestrarum, in causis vobis per nos in quibusdam terris, decimis & possessionibus aliis movendis, ad nostrum beneplacitum spontanea & devota submissio, nos favore congruo provocaverunt, quod in prædictis causis, quas nobis coram venerabili Domino Nuvvenburgensi Episcopo, Abbate monasterij S. Michaëlis Hildensemense, & Præposito Ecclesiæ in Rithenberg Hildensemensis diœcesis, judicibus seu exsecutoribus, nobis à sede Apostolica deputatis, à quibusdam jamdudum ad nos literæ citatoriæ destinatæ movere intendebamus, liti simpliciter cedimus, & nobis moturas remittimus actiones, in hujusmodi circa vos potius modestiæ quam rigoris viam incedere benignius eligentes. Concedimus insuper vobis, ut res & possessiones, quascunque hactenus possedistis, quæ ad vos ex donatione venerabilis Domini Episcopi & Capituli Halberstadensis Ecclesiæ*

 sunt

sunt translata, possideatis in perpetuum pacifice & quietè. Datum Halberstad anno MCCXCVII. VII. Kal. Iulij. Pontificatus anno primo.

Ex quibus quidem literis apparet, quam crasse hallucinatus sit Ioannes VVinistedius, qui in Chron: MS. Episcopum hunc scribit cæpisse anno MCCLXX. obijsse MCCLXXXI quem errorem sequitur Caspar Bruschius, sequuntur alij.

Superioribus añis Otto Dux Luneburgensis, cognomẽto strenuus Ioannis F. auxilio Archiepiscopi Magdeburgẽ, Episcopi Halberstadensis, nec non Ottonis & Hermanni & Marchionum Brandeburgensium contra Albertum Pinguem & Henricum Mirabilem Duces Brunsvicenses bella gesserat, quæ cum monasterij Vallis Mariæ bona non leviter afflixissent, de damno resarciendo idem Princeps solicitus, à telonij Cellensis vectigalibus monasterium immune facit. Literæ datæ sunt in castro Lutter anno MCCC. testes adducuntur Balduinus Knesebecius, Rutgerus Gustedius, VVasmodus Knesebecius, Borchardus à Cram, Asvvinus à Saldern, Ioannes à Gerstenbutle, Gevehard à Schulenburg. Triennio post Eberhardus Abbas profectus est ad monasterium Veteris Montis, visitaturus sui cœnobij patrem seu inspectorem.

Erat tum temporis in armis Imperator Albertus Austriacus, Cocles cognomento, & ad Coloniam Agrippinam castra habebat, oppugnans VVicboldum Archiepiscopum Coloniensem Baronibus VVestphalicis de Holte oriundum, & Coloniam armata manu defendentem. Ea occasione usi Abbates Veteris Montis, & Mariæ Vallensis ad Cæsarem profecti sunt: à quo honorifice excepti ambo, Mariæ Vallensis etiam in protectionem & tutelam Imperialem receptus est. Diploma datum est anno MCCCII. III. Kal. Octobris. Pro-

Proximo anno Eberhardus ex hac vita emigravit, sepultus juxta antecessorem suum. Tumbæ incisi sunt hi versus:

Post annos mille trecentum tres obit ille,
Alter Bernhardus, in valle sedens Eberhardus:
Rexit trimatu feliciter absque reatu.

XV. VVASMODVS anno MCCLXXXVI. fuit Cellarius, deinde Prior: delectus Abbas anno MCCCIII. Præfedit annis XVII utiliter. Primo ejus regiminis anno Henricus Comes Reinstejnius mansum unum & sex jugera in villa Hamersleve cum omnibus juribus à Simone Comite de Dasle sibi data & in se translata ad petitionem Ioannis, & Ludolfi de Ierxsen cum assensu suorum hæredū cœnobio Mariævallensi donat. Secundo gubernationis anno ab Hermanno, Conrado, Ludolfo & Ioanne comitibus VVoldenbergijs impetravit villam in pago Eilsleven. In literis donationis testes allegantur Reinerus Abbas Riddageshusanus, Henricus & Hermannus Comites VVoldenbergij, monachi, hic Luccemensis, ille Riddagshusanus.

Anno MCCCV. Conradus VVarbergius, Hermanni F. contulit monasterio aliquid agri prope Alvensleven siti, quod Ioannes & Fridericus de Hornhusen feudi nomine ante possederant. Testes nominat Bartoldum de Scheningen, Fricconem de Sommerstorp, Albertum & Bartoldum fratres de Spegel, Henricum & Ioannem de Balendorp, VVasmodum de VVackersleve, omnes castellanos in Sommersburg, ubi literæ sunt datæ.

Biennio post à Borchardo & Ecberto fratribus de Hindenburg & Asseburg, equitibus auratis, emit VVasmodus curiam Brunsvigæ, in ea urbis parte, quam Indaginem, sive Hagam vocant, prope portam Rodingiam, jux-

ta curiam Riddageshusani monasterij, & alteram quæ Commendatoris Luccemensis erat, sitam. Erant illæ ædes feudum Ducum Brunsvicensium Alberti & Henrici, qui cum hæredibus consenserunt. In literis emptionis Alberti liberi hi nominantur: *Otto*, *Albertus*, *VVilhelmus*, *Luderus*, *Ioannes*, *Alheid*, *Rikenze*, *Mechtildis*. In literis Henrici exprimuntur ejus liberi: *Henricus*, *Ernestus*, *VVilhelmus*, *Ysinia*, *Alheidis*, *Facie*. Postremum nomen inveni etiam modica variatione *Facia* scriptum. Anno MCCCX. Petrus Abbas S. Ægidij in urbe Brunsvicensi vendidit VVasmodo Abbati Mariævallensi undecim mansos in pago Algestorp.

Mariævallenses monachi, facultatem consecuti erant emendi curiam Helmæstadij, quod & fecerunt. Qui locus cum angustior esset, quam vellent, & necessitas videretur requirere, de coamplificando cogitabant. Accidit commode, ut VVilhelmus Abbas VVerdinensis Helmæstadium veniret. Is rogatus à VVasmodo Abbate, ejusque Conventualibus, non tantum structuram inchoatam confirmat, verum etiam concedit eis licentiam coëmendi vicinas alias ædiculas, easque conjungendi. Facit præterea potestatem ibi legendi Missas, quas vocant; ita tamen, ne inde aliquid detrimenti caperet tam monasterium San-Ludgerianum, quam parochialis Helmæstadij ecclesia. Hæc omnia rata habuit Dux Brunsvicensis, Henricus, item senatus populusque Helmæstadensis, quem ista re primo offensum cum Mariævallensibus ad concordiam deduxerunt Cæsarius San-Ludgeri, & Ioannes montis Divæ Virginis Præpositi. Acta sunt hæc omnia anno MCCCXV. Hæ ædes post annos CCLIX. illustre Pædagogium, Gandesia Helmæstadium translatum exceperunt, eique ab isto tempore domicilium præbent. An-

Anno MCCCXIX. Ioannes XXII. P. R. bulla quadam Archiepiscopum Magdeburgensem & Decanos S. Bonifacij Halberstadensem & S. Blasij Brunsvicensem constituit cœnobij Mariævallensis tutores Ecclesiasticos, contra omnes tam seculares quam Ecclesiasticos monasterium in bonis suis turbantes. Obijt VVasmodus anno MCCCXX. XV. Kal. Iunij.

XVI. HENRICUS III cœpit eodem anno. Ejus tempore Basilius Rutenbergius possessiones non nullas vendiderat monasterio Mariærodensi. Hunc contractum ratum habebat Florinus Dalemius, in cujus matrimonio erat Basilij soror Gertrudis. Erant isto tempore Mariærodæ Iohannes VValkenredensis, Henricus Riddagshusanus, Iordanus Luccensis, & hic de quo dicimus, Henricus Mariævallensis, Abbates familiæ Cisterciensis. Acta sunt anno MCCCXXII. Biennio post composita est controversia quæ erat Borchardo parocho VVulvelburgensi, ejusque fratri Hermanno Bejerstadio, cum tribus Abbatibus Henrico San-Ægidiano Brunsvigæ, Hervvico Riddagshusano & Henrico Mariævallensi. Arbitri fuere Ludolfus Præpositus Hadmerslebiensis & Henricus Alvenslebius eques torquatus, Erxlebij Dominus.

Obijt Henricus anno MCCCXXVI. mense Septembri, cum ante paucas septimanas monasterium, ingenti, ut superstitiose credebat, beneficio affecisset. Nam ejus rogatu Iohannes, Provinciæ Saxoniæ fratrum minorum minister, *Collegium Mariævallense particeps fecit omnium Missarum, vigiliarum, orationum, jejuniorum & castigationum, aliorumque bonorum operum, quæ per fratres ejusdem ordinis in LXXXVI domibus Deus dignatur operari.* Literæ datæ sunt Magdeburgi, anno jam dicto prid. Non. Augusti.

XVII.

XVII. CONRADVS II ex Cellario Abbas cœpit eodem anno, præfuit annis VI. Vidit monasterio suo eripi prædium Eskenrode juxta Guterbergum, quod semel ad alios devolutum nunquam deinde recuperari potuit.

Eodem anno, quo obijt, majorem sensit calamitatem. Etenim Guncelinus VVancelebius, ejusque filius Iohannes, Gumpertus Starendorpius, & Sturo Polanus, homines profani & petulantes, VVarslevium & Mammendorpium, prædia monasterij hostiliter invaserunt, pecora abegerunt, supellectilem omnem abstulerunt. Neque isto contenti fuere, verum duos fratres laicos, *conversos* vulgo vocant, vestibus exutos, in carcerem compegerunt. Accusati hoc nomine, ab Episcopo Magdeburgensi mulctati sunt cx marcis argenti, pro quibus sex mansos Cummerstorpij prope Magdeburgum sitos, injuria affectis assignarunt.

XIIX. IORDANVS electus est anno MCCCXXX. De eo nihil annotatum invenio, nisi quod triennio post electionem aræ S. Pauli & Bervvardi in templo S. Stephani Helmæstadij donarit duos mansos Algerstorpij sitos, quos antea possederat Henricus Amfurtius & Metta conjux ejus. Eidem aræ assignavit villam & mansum cum dimidio in pago Ridepe situm, quem *Ermbrechtus Sunstedius*, eques magni nominis, ut vasallus hactenus tenuerat.

Borchardus Sunstedius.

Ermbrechtus eques.1330. *Otto 1330.* *Borchardus 1330.* *Vlricus.*

Borchardus 1359.

Vitam cum morte commutavit Iordanus an. MCCCXXXVI die XX Sep. qui Divæ Faustæ sacer est.

XIX.

XIX. IOHANNES II electus est eodem anno mensis Octobris initio. Invenit monasterium multo ære alieno gravatum. Significavit id fratribus ordinis Cisterciensis, Divione Synodum celebrantibus, à quibus facto Decreto concessa est ipsi facultas vendendi bona nonnulla quæ erant in urbe Brunsviga. Verba Decreti hæc sunt: *Petitio Abbatis de Valle S. Mariæ, qui petit, ut pro utilitate monasterij sui, & solutione debitorum possit vendere pensiones ad vitam, seu reditus minus utiles, & parvas possessiones, vel etiam permutare, salva ordinatione Papæ, & dentur Abbates vicini de Riddagshusen, & de Bezingerode, exauditur: Permittitq; generale Capitulum dictis Abbatibus, ut ad dictum monasterium personaliter accedentes videant & inquirant de necessitate dicti monasterij, vel utilitate, voluntate patris Abbatis, & inde faciant & referant, quid faciendum vel referendum sit, juxta ordinationes prædictas. Datum in Divione.* Decretum hoc approbavit Philippus Abbas Aldenbergensis, tanquam Ordinarius Visitator VallisMariæ, qui cum coram adesse non posset, vices suas demandavit Amelunxbornio Præsuli. Insequente igitur anno MCCCXXXVII die S. Margaretæ, in monasterio VallisMariæ convenerunt Henricus Amelunxbornius, Theodorus Riddagshusanus, & Ioannes Mariærodanus Abbates, & instituta diligenti inquisitione de statu monasterij, dederunt Abbati Iohanni licentiam vendendi domum quandam in urbe Brunsviga, cui nomen Curia longa. Eam dato precio suo monasterio comparavit Riddagshusanus. Tempore istius venditionis erant in ValleMariæ monachi XXXIV. & inter hos Hildebrandus Bartenslevius, Ludolfus Veltheimius, Fridericus Hordorpius, Fridericus Bervvincelius, equestris ordinis hominibus nati. Nono anno post Guncelinus Bartenslevius, ejusque frater

VVernerus fundarunt aram in sacello isto quod eorum parentes in Valle extrui curarant. In hoc sacello mandat Guncelinus sacrum annuum fieri in memoriam conjugis suæ Mechtildis, & hoc nomine cœnobitis eleemosynā largitur.

Familia hæc *Bartensleviorum* etiamnum superest, amplificata hæreditate Comitum Osterburgiorum. Vltimi enim hujus familiæ Sigefridi filiam duxit Guncelinus Bartenslevius, & ex ea duos genuit filios Guntherum & Hildebrandum.

Guncelinus Bartenslevius. Vxor N. Filia Sigefridi Comitis Osterburgij.

Guntherus castrensis in Vorsfelde 1288.

Hildebrandus citatur in literis anno 1268. & 1272. à Conrado Archiepiscopo Magdeburgensi. vixit adhuc anno 1279.

Guncelinus 1318.

N. uxor Henrici à VVenden equitis aurati 1318.

Borchardus vixit anno 1318. citatur in literis Ottonis Ducis Brunsvicensis 1330.

Borchardus obiit ante annum 1346.

Guncelinus eques fundator aræ in Sacello Mariævallensi 1346. Vxor Mechtildis.

Borchardus — *Guncelinus.*

VVernerus eques auratus 1322. — *VVernerus eques auratus 1366.*

Guntherus residens Rodenhovii anno 1344. Vxor Cunegundis.

Ludolfus Præpositus Soltvvedelensis 1346.

Guncelinus Canonicus Merseburgensis 1346.

Guncelinus eques auratus cognomento claudus. Gisela uxor. — *Guntherus 1383.*

Busso 1383. Vxor Elisabeth Ludolfi ab Honlage F. desponsata ei anno 1384.

Gun-

Guntherus 1366.	*Hunerus 1366.*	*Ode nupta N. Berlevio.*	*Elisabeth, uxor N. à Plate.*	*Mechtildis conjunx N. Luderitii.*

Ioannes Abbas VallisMariæ obijt MCCCL.

XX. HENRICVS IV cœpit eodem anno. Hic cum consensu Conventus sui vendidit totalem decimam in campo in villa Vogelbeke, cum omni jure & proprietate ac libertate, qua monasterium Vallis à retroactis temporibus istum possedit, Præposito & Conventui Sanctimonialiũ Fontis S. Mariæ pro CX marcis Stendaliensis argenti, & V. coris siliginis. Testes hujus rei sunt Bodo Prior, Theodoricus Subprior, Ludolfus Cellarius, Ludolfus de VVerberg MCCCLVI. die ad Petri vincula. Ipsius tempore grassabatur pestis per universam Saxoniam, quæ multa monasteria vacua reddidit. In ValleMariæ quinque tantum remansere superstites, cœteros lues contagiosa absumsit. Obijt hic Præsul anno MCCCLXI.

XXI. HERMANNVS I cœpit anno MCCCLXI. præfuit non totum triennium, utiliter tamen. Primo tamen statim anno gubernationis coactus est vendere Meinhardo Præposito & Lucardi Priorissæ monasterij Montis Mariæ prope Helmæstadium, decimam in agro Bendorfiensi pro L. marcis argenti puri. Nominantur in literis Otto Prior, Iordanus Bursarius, Ioannes Subprior, Albertus Custos. Verum mox à VValtero & Ludovico Baronibus, sive nobilibus Dynastis Dorstadijs, emit villas aliquot Offendorpij in agro Luneburgensi. Ibidem possidebant bona Kislevij nobiles. Hermannus hæc similiter data pecunia suo monasterio comparavit. Consenserunt huic venditioni Hervvigus Gebhardi, & Ludovicus VVidekindi FF.

 ambo

ambo Kislevij, anno MCCCLXI. Biennio post obijt Hermannus III. Idus Octobris.

XXII. GERHARDVS eligitur anno MCCCLXIII. præfuit sexennio. Exemplo antecessoris possessiones monasterij non minus auxit. Nam VValterus & Ludovicus Barones Dorstadij pagum Rennovv, quem Barrenslevij equites nuper tanquam vasalli eorum beneficio possederant, sed monachis Mariævallensibus vendere coacti fuerant, sua auctoritate monasterio confirmarunt. Tranquillioris vitæ amore abdicavit se munere & privatus deinde inter fratres vixit.

XXIII. HERMANNVS II. eligitur anno MCCCLXIX præfuit annis IV. & antecessoris postmodum exemplo muneri suo resignavit. Id quar tam ipse, quam alij, qui eum in isto officio sunt sequuti, facere voluerint, non invenio annotatum. Hoc deprehendi, in ære alieno fuisse monasterium, quæ causa forte eos impulit, ut honori molesto valedicentes, quieti & otio se dederent.

XXIV. IOHANNES III. cœpit MCCCLXXXIII. Altero gubernationis anno Hermanno Præposito summi templi Magdeburgi, ex Baronibus VVarbergicis, vendidit tres mansos Bornsteti, una cum decimis majoribus & minoribus. Hic Hermannus VVarbergius natus est avo Hermanno VVarbergio, ex N. VVernigerodana Comite, Parens fuit Conradus, in cujus matrimonio fuit Mechtildis fœmina pientissima, quæ post mariti obitum cum filios ad ordinem Ecclesiasticum promovisset, omnibus exemplo fuit singularis cujusdam religionis. Nam Helmæstadij prope templum San-VValburgianum consensu senatus ejus loci curavit sibi extrui ædiculam, in qua orationibus & jejunijs vacans ultra XXIV annos vixit. Filios, ut dixi, sacris

sacris addixit, & Hermannus quidem ex Canonico summi templi Magdeburgi electus est Decanus, in quo fuit ultra annos xx, demum Præpositi munere defunctus. Alter Ludolfus nomine, in Valle Mariæ cucullum induit à Collegis Cellarij munere cohonestatus. Eodem anno Conradus Præpositus Montis Mariæ prope Helmæstadium tres mansos dedit cœnobio Mariævallensi, ut cederent sibi decimam xrix mansorum, in pago Altena. Obijt anno MCCC LXXX. XXX Octobr.

Quinto anno regiminis Iohannis Abbatis Guntherus Bartenslevius, & Otto à Seggerden, prædia monasterij Mammendorfium & Hakenstetum abactis pecoribus spoliarunt circa festum Martini Episcopi.

Anno MCCCLXXXII fuit Iohannes Gifhorni, in agro Luneburgico, cum consecraretur capella sive sacellum prope muros oppidi constructum ab Eberhardo & Conrado Marenholtijs: gubernante Ducatum Alberto, ex Laoburgicis Principibus Saxoniæ Duce.
Obijt Iohannes anno MCCCLXXXIII.

XXV. HENRICVS V. ex Borgiorum familia natus, præfuit monasterio annis XIII usus est hoste præpotente, quodam ordinis equestris viro, qui non nominatur quidem, multa tamen damna monasterio intulit. Abegit enim semel atque iterum pecora, tam ex monasterio, quam prædijs, huic subjectis. Cumque manipulum prædatorum Rottorfij grassantem quinque monachi & novem coloni persequerentur, ab illo ita excepti sunt, ut pariter omnes occubuerint. Cum luctu domum relati, quod in eadem causa, eodem letho occubuissent, uno in sepulchro conditi sunt. Anno MCCCLXXXIV. monasterio Hujesburgensi Henricus concessit agros nonnullos, sitos in campis

Hamerslevienſibus & VVederslevienſibus, recipiens ab illis annuum cenſum: marcam nempe Brandeburgenſem unam cum ſemiſſe. Obijt Henricus anno MCCCXCVI, quo ipſo paulò ante obitum vendidit Conventus ſenatui Helmæſtadienſi lapicidinas ſuas, ut liberè ex ijs lapides in oppidi uſum cædere ipſis liceret, pro Marcis X Brandenburgenſibus: annexa clauſula, ut ſoluta eadem pecuniæ ſumma liberum maneret monaſterio lapicidinas ſuas redimere. Factum id in octava Petri & Pauli.

XXVI. IOHANNES IV. electus eſt eodem anno, præfuit annis XVI. Infeſtarunt eum nonnihil Alvenslebij, Calbæ tum temporis habitantes: cum quibus tamen paullo poſt redijt in gratiam, cum pro dato damno ei ſatisfeciſſent. Abdicavit ſe præſulatu Iohannes anno MCCCCXII.

XXVII. VDALRICVS, qui in quibuſdam literis, eſt Olricus, rexit monaſterium annis XX. Altero ab electione anno à Ludolfo & Iohanne, patre & filio, Honlagijs, emit quidquid juris illi habebant in Oſſendorpio, agri Luneburgenſis pago. Barones VVarbergios habuit patronos. Cum enim Buſſo Ierxheimius pomarium quoddam monaſterio Vallis Mariæ vendidiſſet Scheningæ ſitum, Ludolfus VVarbergius dynaſta, ejusque filij duo Iohannes & Gebhardus Domini feudi venditionem ratam habuerunt anno MCCCCXIX.

Contra Veltheimios infenſos expertus eſt annô MCCCCXXVI. Nam cum hi habitarent Hötenslebij, ex eo VVarslebium ſemel atque iterum inv aſerunt. Status monaſterij tum temporis erat commodus, æs alienum nullū, in promptu pecunia non contemnenda; non minor alijs credita: annona in horreis luculenta. Nihilominus Vdalricus, incertum quâ de causâ, honores iſtos amplius ſuſtinere noluit,

noluit, sed præsulatu se abdicavit, anno M CCCC XXXII.

XXIIX. HERMANNVS III. Prior fuit MCCCXCVI. Abbas electus præfuit annis IX. Hujus tempore Basileæ celebrabatur concilium, ad quod invitati Bohemi, missa istuc splendidâ Legatione trecentorum equitum fidei suæ rationem reddiderunt. Ad hoc concilium misit Hermannus, sui monasterij monachum quendam, negociorum incertum quorum causa.

Anno MCCCCXL. Burchardum Episcopum Halberstadensem & Ioannem Baronem VVarbergium apud se hospites habuit, qui Gebhardo fratri defuncto annuum sacrum impetrarunt.

XXIX. ALBERTVS resignante Hermanno eligitur anno MCCCCXLI. die XIIX Maij. Quamdiu præfuerit, non satis compertum habeo. In bibliotheca VallisMariæ habetur Fasciculus temporum, sive chronologia edita à VVernero Rolevingio, patria VVestphalo, professione monacho Carthusiano. Huic libro a monacho philohistore nonnulla in quibusdam pagellis adscripta sunt. In ijs annotatum est Albertum renunciasse officio suo anno MCCCCXLVI. Verum reperio adhuc alibi in literis nomen ejus tanquam Abbatis ad annum MCCCCLXXI. Hoc certum est obijsse eum V. Eidus Maij sive die ejus mensis XI. Altero gubernationis anno accesserunt ad ipsum Georgius & Hildebrand⁹ consanguinei ambo Bervvincelij, & monasterio agellum, Tunderslebij situm, quem jure feudi & beneficio Comitum Mansfeldiorum possidebant, VallisMariæ collegio assignarunt.

Familia Bervvinceliorum olim in his regionibus inter cæteras equestres non postrema fuit. Inveni in diversis instrumentis donationum hujus familiæ non paucos.

Quan-

Quando desierit, ut non plane investigare potui, ita referendum puto, quod à primario quodam ordinis equestris homine, studijs hisce cum primis dedito, nuper didici: nempe bona Bervvinceliorum ad Velthemios transijsse, atque hinc esse, quod familiæ huic quadrifidus sit clypeus in qua trabes transversæ, & simul termes arboris alternè collocata conspiciantur. Constat autem Veltheimiæ stirpis antiquissimum insigne esse trabes nigras. Termes igitur erit à Bervincelijs. Guncelinus à Bervvinckel anno MCCXLVII. uxorem habuit filiam Bertrami Velthemij.

Anno MCCCLV. nonnulli Ducatus Luneburgici equites prædas agebant ex diœcesi Magdeburgensi, abactis inprimis pecoribus Hallenslebium. Ea res peperit bellum inter Fridericum Burchardi F. Ducem Luneburgensem & Fridericum Buchlingium Archiepiscopum & populum Magdeburgensem. Obsessum fuit castrum Klotzke à Magdeburgicis, sed non occupatum. Dux Fridericus bona hostium, ubicumque potuit, detineri jussit. Demum negocium per arbitros compositum est, die Helmæstadij indicta: cui actioni Abbas Albertus compromissarius judex rogatus interfuit. Citatur adhuc in literis Hamerslebiensibus ad annum MCCCCLX.

XXX. HERMANNVS IV. successit Alberto, dubium quo anno. Crediderim tamen id factum anno MCCCCLXI. nam eo in literis primum nominatur Hamerslebiensibus, cum Conrado Priore, & Henrico Bursario.

Invenit nomen pietatis, laudem industriæ: utrumque meretur nostrum præconium.

Pauca de eo annotata, peneque nulla. Erat ei lis cum colonis Emmerstadiensibus, de jure saginandi porcos, quod illi sibi arrogabant in parte quadam nemoris pago vicini.

vicini. Hoc litigium composuit Dux Brunsvicensis VVilhelmus anno MCCCCLXXIV.

Sub ipso parari cœpta est *piscina puerorum* dicta, der Kinderteich.

Anno MCCCCLXXIIX evocatus est Mariærodam, ut visitationi ibi institutæ interesset. Ivit eo sed non rediijt. Nam morbo correptus decubuit ibi aliquamdiu, tandemque exhaustus viribus fractusq; obijt die Barnabæ.

XXXI. HENRICVS VI. patria Scheningensis, officio Bursarius, eligitur anno MCCCCLXXIIX. Gubernavit monasterium usque ad annum MCCCCLXXXIV.

Inter hunc & vicinos familiæ *Kislebia* equites, qui fuere Henricus & Albertus, Hermannus & Didericus, nec non Hervvigus Gebhardus & VVilkinus, controversiæ erant de finibus. Has composuerunt Ludolfus Marenholtius & Ottavus à Bodendick, anno MCCCCLXXIX. Ottavus hic septennio post cum senatu populoque Helmæstadensi inimicitias suscipiens, armenta eorum, uti & monasterij San-Ludgeriani abegit. Secuti sunt cives armata manu hostem: sed ille jam Ohram fl. transierat. Hanc controversiam Abbas Henricus consilio & auctoritate sua discussit.

Ejusdem Abbatis tempore VVevelingæ ad Alarim habitabat *Laurentius Honlagius*, equestris ordinis, sed ingenij inquieti & varij homo. Is cum propria decoxisset, alienis inhiare cœpit. Canonici VValbecenses finitimos ejus territorio possidebant agros & pascua: hæc invadebat ille, violenterque usurpabat. Delata est res ad illos, qui utrisque imperabant, factumque post frequentes admonitiones, ut refractarius alienæ rei invasor abstentus redderetur. Perculsi eodem sunt fulmine, quibus ille feriebatur,

batur, homines seditiosi alij & pacis publicæ turbatores. Et videbatur jam res spectare ad hominis eversionem. Miserti igitur ejus tum vicini, quàm necessarij, & tum Honlagium, tum VValbecenses Canonicos invitarunt Haldenslebium, ut ibi negotium componeretur. Erant, quos dixi, vicini Henricus Abbas Mariævallensis, Ioannes Decanus templi S. Nicolai Magdeburgensis, Fricco Alvenslebius, Bussonis equitis torquati filius, Ioannes Bartenslebius. Hi ablegatos à Collegio VValbecensi, VViprechtum à Barbui præpositum, Ludovicum Velthemium Ludolfi filium, Bussonem Schuleburgium, Bussonis filium, & alios audiverunt de Honlagio conquerentes: audiverunt accusati responsiones: quibus examinatis viderunt ab hac parte peccatum fuisse. Igitur auctores fuere Honlagio, ut resipisceret, ablata restitueret, alienis molestus non esset. Conservatum ipsi tum temporis fuit jus Advocatiæ, in Ecclesiam VValbecensem, quod majores ejus à multis annis possederant, ipse vero pene perdidisse videbatur: concessumque ipsi est, ut jure isto more consueto uteretur de majoribus minoribusque pœnis sontibus irrogandis statueret, salvo semper Canonicorum jure & privilegiis. Pro damnis Collegio datis, ipsorumque decimis interversis solvit Collegio LX aureos Rhenenses. Promissa insuper utrinque mutua benevolentia, defensio, & ab omni injuria & læsione abstinentia. Acta sunt hæc Dominica Iudica, anno MCCCCLXXXI. Sexennio post Honlagius VVevelingam plane amisit.

Anno MCCCCLXXXIII. Abbas Henricus una cum Amelunxbornensi & Mariærodensi Abbatibus interfuit solennitati, qua Echertus Abbas Riddagshusanus, civis Brunsvicensis filius infulâ Episcopali à Sixto IV Pontifice coronabatur.

nabatur. Eodem anno castrum Flechting & pagus proximus flammis conflagrarunt: incendio ab anu quadam excitato.

Anno insequenti, cum Ernestus Archiepiscopus Magdeburgius & Halberstadius, urbem suam Halberstadium obsessam domuisset, jamque copiæ dimitterentur, præter spem & opinionem Helmæstadenses cives & monasterium Mariævallense ingens detrimentum acceperunt. Etenim VVunstorpiensis & Hohnsteinij Comitum copiæ ex castris evagantes, armenta ac greges tam urbis quam cœnobij abegerunt. Damnum Helmæstadensibus factum MDC florenis æstimatum fuit. De restitutione quidem actum, sed nihil impetratum. Ea de causa Dux Brunsvicensis utriusque Comitis ditionem hostiliter ingressus, par pari retulit, ingentique damno dato suos vindicavit.

Abbas hic Henricus murum, qui monasterium totum ambit, speciosum illum & amplum, quod ruinosus esset, dejecit, & quaqua versum ab integro restauravit.

Magna tum temporis erat annonæ caritas, cui similis vix audita, molestior ob id & gravior, quod in annos aliquot protraheretur.

XXXII. IOANNES HANNOVER. De hoc Abbate non multa quæ referam habeo. In veni in Valle Mariæ librum qui sequentia continebat. *Anno MCCCCXCI compositi sunt isti strenui de Alvensleven & Brunsvicenses, qui diu steterunt in magna discordia. Sed Alvenslevenses magnum damnum Brunsvicensibus intulerunt per rapinam & incendia villarum: ita quod ex Brunsvicensibus nullus audebat extra murum exire civitatis. Et hæc compositio facta est per Dominum Abbatem Ioannem & strenuum Fridericum de Alvensleve, & Ludolfum*

dolfum de Marenholtz. Hactenus liber iste, quem laudavimus, circumstantiæ nos fugiunt.

Ioannes Abbas adducitur adhuc in literis Conventus Hamerslebiensis, cum Henningo Bursario ad annum MCCCCXCII. Annus vero obitus non annotatur.

XXXIII. LVDOLFVS ejus nominis secundus succedit Ioanni, nominaturque primum in literis monasterij Hamerslebiensis ad annum MCCCCXCIII. Hujus temporibus circa annum jam dictum, & sequentes in florentissimo Italiæ regno circa Neapolim, ubi Carolus rex Galliæ rex, cum Alfonso Aragonico bellum gerebat, grassari cœpit lues illa quam alij *morbum Gallicum,* quod in Gallorum castris maximè sæviisset, alij *Italicum & Neapolitanum* à loco in quo sævire cœpit, alij alio nomine appellaverunt: hodie, citra nationum injuriam, *Luem Veneream* vocant, quod per venereum contactum præcipue ab uno in alium propagetur. Ex Italia postmodum non per Europam tantum, sed universum pene orbem diffusa, nullas non nationes occupavit. Originem primam alij aquarum in Italia inundationibus, alij certo & maligno siderum aspectui, alij vino leprosorum sanguine infecto, alij alijs causis transscripserunt. Doctiores à Christophoro Columbo ex Novi Orbis insulis, quas Ferdinandi Catholici Castellæ Regis auspicijs anno MCCCCXCII detexerat, in quibus lues illa erat endemia, in Hispaniam primum atque inde ab infectis militibus in Italiam delatam censuere. Vnde à prima patria, Indiâ Orientali nempe, *morbus Indicus*, ab exportatoribus *Hispanis* etiam dictus fuit. Morbus est præcipuè libidinantibus & vagæ Veneri deditis familiaris, ipsisque in pœnam à summo Numine datus.

Anno MCCCCXCIV. Maximilianus I. Imp. consensu Ordinum

ordinum Imperij summum *Iudicium Cameræ Spirensis* instituit. Antea enim judicium Imperij Camerale nullo in loco fixum erat, sed aulam Imperatoris sequebatur. Introductio facta est ab Imperatore pridie Kl. Novembr. Ludolfus Abbas in literis Hamerslebiensibus etiam ad annum MCCCCXCVII nominatur: in alijs Ordinum Ducatus Brunsvicensis nomen ejus invenitur adhuc anno MDI: quo diem quoque suum obijsse constat.

XXXIV. HENRICVS ESCHERD, ejus nominis VII, eodem anno, quo Ludolfus obijt, monasterio per electionem suffectus est. Sub hoc Abbate anno MDVI. gravissima pestis in urbe Helmæstadio locisque vicinis deslævijt; quæ multos etiam monachorum VallisMariæ vita exuit.

Anno MDX Abbas Henricus Priori monasterij Hamerslebiensis Bernardo vendidit ad annos XXIV curiam, quæ vocatur der Grawe Hoff. Venditioni interfuere Hermannus Abbas Riddageshusanus, Henricus nobilis Dominus de VVarberg, Hermannus Abbas Hujesburgensis, Ludolfus à VVenden & Conradus à Veltheim. Plura de ipso non invenio, nec annus obitus annotatus est.

XXXV. HENRICVS HERVVIST, nomine hoc IIX, quo anno cœperit, incertum est: Nominatur primum in literis ad annum MDXVII deinde ad annum MDXX & MDXXIII. obijt vero Kal. Septembr. anno MDXXIII. Sub initium gubernationis hujus Abbatis, anno MDXVII., *Martinus Lutherus*, S. Theologiæ Doctor, Ordinis Augustinianorũ monachus, primas suas Propositiones contra indulgentias Pontificias Tecelij publice disputandas valvis templi in arce Electorali VVitebergensi affixit: atque annis subsequentibus Papatum ipsum mascule oppugnare cœpit, novamque quasi postliminio Evangelij lucem per universam Europam accendit;

cendit, quæ nostras etiam non multo post oras Dei opt. Max. beneficio illuminavit.

XXXVI. HENNINGVS GIFHORNENSIS, ex agro Luneburgico natus, monasterij Prior fuit, cum Supprior esset VVichmannus, Andreas Bursarius. Anno vero MDXXIII in Abbatem electus, regimini monasterij præfuit annis XII. In hujus tempora incidit famosa illa rusticorum seditio, incentore Thoma Muncero: qui tamen ab Henrico Iuniore Duce Brunsvicensi, cui se Georgius Saxoniæ Dux, Landgraviusque Hassiæ Philippus associarant, ad oppidum Franckenhausen cæsi, pœnas seditionis dedere, Duce ipsorum capite plexo. Factum id anno MDXXV.

Hujus etiam Abbatis tempore regiones hasce invasit, & immane quantum afflixit lues illa, quam *Sudorem Anglicum* dixerunt, & febrem sudatoriam. Ea olim in Anglia orta annis ferè XL. eam continuè & graviter afflixerat: inde sub annum MDXXV ex Anglia in vicinum Belgium, ac porrò in Daniam ac Norvvegiam, ac demum Germaniam perrexit, ubi anno MDXXIX & sequenti atrocissimè desævijt & multa millia letho dedit. Ægri sudoribus diffluebant continuis, qui non ante desinebant, quam morbus solveretur. Fiebat id intra horarum XXIV spatium, quod qui superabant, convalescere sensim, reliqui Libitinam ditare solebant. Obijt Abbas Henningus anno MDXXXV, ad diem III. Ianuar.

XXXVII. IOANNES ejus nominis V. cognomento HAMELN, eligitur ex Priore monasterij Abbas anno MDXXV. In annum electionis ejus incidit obsidio & occupatio urbis Monasteriensis in VVestphalia, quam Anabaptistæ tenebant. Vrbe capta Rex Anabaptisticus, *Ioannes à Leiden*, complicesque nonnulli, forcipibus ignitis lace-

lacerati, & in caveis ferreis de turre suspensi seditionis pœnam luerunt. Gubernavit Ioannes VallemMariæ annis tantum IV non integris. Obijt XVI Kal. Sept. anno MDXL.

XXXIIX. LUDOLFUS DIDERICUS præesse cœpit anno eodem, totisque mox sequentibus XIX clavum monasterij tenuit: verum adeo negligenter, ut referre omnia pudeat. Luxu, otio, & lasciviâ diffluens pessimè apud omnes audiebat, ac nisi tumultus bellici, qui tunc temporis instar procellarum ac turbinum hasce regiones infestabant, supremi magistratus officium retardassent, temporius ab honoris isto fastigio fuisset dejectus. Factum tamen id est cum mensuram nequitiæ implevisset, & Inspectorum evigilasset fidelis & tempestiva animadversio. Erant illi Campensis, Riddagshusanus & Mariærodensis Antistites, qui de sentẽtia & voluntate Cisterciensis Archimandritæ Ludolfum convictum, nihilque eorum, de quibus accusabatur, inficiantem, dignitate privarunt. Quem tamen successorem habuit, hunc eundem ante se defunctum vidit: de isto sibi gratulans, minimè tamen solidè, quippe cui vita longior pœna esset. In Abbatis hujus tempora incidit tempestas gravissima, totumque Ducatum Brunsvicensem atrociter afflixit: qua Henricus Iunior, Princeps aliâs fortissimus, sed religioni avitæ pertinacius adhærens, à Smalcaldici foederis Principibus totâ ditione exutus, tandem etiam ab Hassiæ Landgrafio captus, & biennij fere spatio in carcere detentus fuit: donec jussu Caroli V. Imp. anno MDLVII, cui Landgravius Halæ Saxonum supplex fiebat, dimitteretur, ac ditiones suas recuperaret.

XXXIX. IOANNES VI dictus COLONIENSIS

à pa-

à patria in monasterio Veteris Campi monachum egit. Inde una cum successore suo, Casparo Schosgen in Mariæ-Vallem accitus, in locum Ludolfi propter luxum & prodigalitatem depositi successit anno MDLIX, & annis tantum V. præfuit, sed magna cum laude, monasteriumque in meliorem statum reducere sedulo conatus est.

Et primo omnium quidem ædificia collapsa instaurari fecit, interque ea Refectorium, quod vocant, domum piscatoriam, hypocaustum S. Catharinæ cum cubiculo & alia. Piscinas etiam omnes repurgari jussit. Verum in medio laudabilis conatus cursu defecit, successorique lampada tradidit, & mortales exuvias deposuit die III Junij anno MDLXIV, sepultus in domo, ut vocant, Capitulari.

XL. CASPARUS SCHOSGEN, antecessoris sui compatriota fuit: quo in Abbatem electo, Bursarij munus accepit, defuncto in Abbatis dignitate successit. Erant in hoc viro eruditio doctrinæ mediocris, vitæ modestia, morumque suavitas singularis, qui facile omnes perferre ac pati poterat. Præfuit, immo profuit monasterio annis XXIIX similis per omnia Reinholdo Abbati, cui ego tacitè apud me de utroque cogitans comparare ipsum semper solitus fui. Monasterij bonis magnopere imminutis, prædijsque opimis ad alios translatis, ipse nihilominus in re lauta fuit: præbens Principi, quæ illi jure deberet, alijs quæ humanitas postularet. Sibi ipsi, suisque non adeo prospexit, quamvis liceret, neque quisquam invidere, prohibere multo minus posset. Verum hoc ei è manibus extorquebant homines miseri & afflicti, quibus potius de re privata, quam publica succurrere volebat. Religioni repurgatæ nomen primus Abbatum monasterij sui dedit. Qua id occasione factum sit, memini ex ore ejus non semel

mel

mel me audiviſſe. Facturo enim iter in patriam tranſeunda erat Lemgovia, agri Lippienſis Comitatus urbs non ignobilis. Eò cum perveniſſet, accidit ut dies Dominicus eſſet, & in templo publicè concio ad populum haberetur. Hìc, etſi alienus erat à religione noſtra Schoſgius, tamen ut ſacris intereſſet, templum ingredi & verbi divini miniſtrum audire voluit. Docebat ibi id temporis Hildebrandus Grathuſius, vir pius, doctus & ſingularis modeſtiæ ac integritatis, qui deinde fere octuagenarius diem ſuum obijt. Is ſive edoctus ab alio, quem auditorem haberet, ſive fortuitò, pro concione articulum de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo tractandum ſibi ſumpſerat, acriterque refutabat corruptelas Pontificiorum, quos ille locus in vicinia alebat magno numero. Schoſgius, quæ ille diceret, audivit attentè, totoque itinere, etiam domum deinde reverſus meditatus eſt ſecum quæ audiverat, cœpitque Lutheri atque aliorum ſcripta diligentius ſcrutari, ac indies in cognitione doctrinæ cœleſtis proficere: adeò, ut cum paullo poſt de reformatione cœnobiorum ageretur ſui Ordinis, ille homines, ſuſpenſo & dubio animo id negotium tractantes, rationibus auderet convincere & in propoſito confirmare. Itaque non ductus animi levitate quadam, ſed lectis & examinatis confeſſionibus noſtrarum Eccleſiarum, ac diligenter auditis Theologorum Concionibus, veritatis evidentiâ victus, & Spiritus ſancti auxilio, Evangelij doctrinam toto animo amplexus eſt. Conſiderans deinde, quam periculoſum ſit extra conjugium vivere, & Apoſtoli illud cogitans, melius eſſe nubere, quam uri, conjugem duxit, piam & modeſtam, ex qua filias IV, filium unum ſuſcepit. Filiarum una nuptui data eſt Friderico Daſypodio, ICto

K &

& Professori Academiæ Iuliæ clarissimo, altera Guilhelmo Bokelio ICto & reipubl. Helmæstadiensis primum Syndico, Ducum Brunsvicensium deinde Consiliario, Legationibus obeundis deputato. Liberi reliqui maturè obierunt. In templo Vallis Mariæ Abbas Schosgius Organa Musica nova extrui curavit, ijsque sequens Hexastichon subscribi jussit:

Qui sua seq. Deo Casparus devovet Abbas,
Organa construxit sumptibus ista novis.
Vt pia se nostra dum jungit Musica voci,
Mulceat æternum laus geminata Deum.
Cedite, qui templis evertitis Organa: rectè
Humanâ colitur voce manuq. Deus.

Cum reformatione monasterij, Scholæ etiam novæ institutionem moliri cœpit Schosgius. Noverat enim monasteria olim in hunc finem condita, ut essent Scholæ pietatis, precum, omnisque doctrinæ & eruditionis. Noverat mentem hanc esse Iulij Ducis Brunsvicensis, Patris patriæ, cui refragari fas non esset. Instituit igitur Scholam, ac pietatem bonasque literas in ea doceri jussit, multosque postmodum ex ipsa prodire viros eruditos & ipse vidit, & plures viderunt successores, ac ditio universa.

Eidem Principi Iulio, Academiam Iuliam in urbe Helmæstadio fundanti Curiam in eâ sui monasterij concessit, ut auditorijs Academiæ adaptaretur.

Obdormiuit in Domino III Decembr. anno MDXCII. ante decimam meridianam: sepultus die v. ejusdem mensis.

Defuncto fautori & amico bene merenti sequens Epicedium id temporis conscripsi, & typis exprimi curavi, quod hic etiam extare visum fuit non inconveniens.

Nata:

Nata Dei laudem & magnorum gesta virorum
Carminibus celebrare piis, ad munia lato
Pectore Musa redi: nec te sors ulla retardet;
Non odium, aut livor nostrive infamia sacli.
SCHOSGAEVS tibi carmen erit, quem Ecclesia Christi
Egregium agnovit civem; sensere patronum
Pierides, Phœbiq; chorus: nunc lumine cassum
Pierides lacrymis & mæsta Ecclesia deflent.
Illum felici genitrix dedit optima partu,
Qua videt algentem turrita COLONIA Rhenum.
Doctrina & studiis infecit cura magistri;
Sedulitasq; patris nusquam intermissa severum
Carpere suasit iter, quod virtus aurea sternit.
Prava superstitio juvenem tentavit iniquis
Artibus, involvitq; etiam: nam credulus illi
SCHOSGAEVS mundo abstinuit, tacitiq; latebras
Cœnobij ingrediens habitu vitaq; rigenti
Placari superos, & tolli censuit iras.
O tenebræ, ô caligo potens & noxius error!
Non opis est nostræ culpas delere nocentes,
Munus id omne Dei est, sed cum Papa regna teneret,
Vendidit hos fumos & falsa oracula mundo.
At qui res Satanæ regnumq; evertit ab alto
Omnipotens, cæco tenebrarum è carcere duxit
SCHOSGAEVM (is jam sceptriferi confinia Rheni
Liquerat & se Saxonicis novus advena terris
Intulerat, moresq; suos studiumq; probarat
Patribus, ut, mitra dignatus honoribus, ABBAS
Christiparæ VALLEM MARIAE lucosq; teneret
Irriguos) nam scripta legens cœlestia, & acri
Pectore verba librans, se tristi errore teneri

Vidit, & indoluit, non me, dicebat, amictus
Decolor, injussæve preces: non pallida longâ
Ora fame, & vacuus salvabit conjuge lectus.
Sufficiunt mandata Dei, quæ pondere miti
Colla gravant; humana nefas inventa molesto
Admiscent oneri, vitæque pericula gignunt.
Eripiam me, dante Deo, tenebrisq; jugoq;:
Adspiciam lucem, nec me furor iste tenebit.
Talia pervolventem animis vigor ætheris alti
Imbuit ulterius: non jam amplius ista recondit
Mente, sed exponit caris fidenter amicis:
Hortaturq; eadem sentire & vera fateri.
Interea patriis nova condere secula regnis
Et veteres abolere Deos mentitaq; sacra
Cura fuit GVELFO quæ fama ut venit ad aures
SCHOSGAEI: heu quantos concepit pectore plausus!
Lætitiâ exultans, nunc tandem perfruar, inquit,
Doctrinæ usurâ cælestis, & integer ibo
Sanctorum per casta patrum vestigia tolle,
Tolle malum Princeps, rebusq; medere subactis.
Ipse meos lapsus & cæca errata fatebor.
Admisisse nefas satis est, ignoscite Divi
Incauto nocuere doli, nocuere colores
Nequitiæ admixti: nec me tantùm ista fefellit,
Communis sed culpa fuit, justissima tandem
Cui meritam Nemesis sancit vindictaq; pœnam.
Consilium GVELFI sanctum, dignosq; favore
Conatus, pater omnipotens respexit, & aura
Desuper afflavit: quicquid fraus Romula templis
Intulerat vicij: quicquid longæva vetustas
Severat errorum, immissâ pietate fugatum est.

Cæno-

Cœnobiis facies sua reddita, quippe palæstras
Doctrinæ quondam vitæque fuisse probatæ
Perspicuum est. *Sed fuci apibus nocuere, pigriq;
Hauserunt fructus alienaq; pabula ventres.*

*Cœnobio in melius verso & pietate reducta,
SCHOSGAEVS casti petijt sacra fœdera lecti.
Scilicet ut sociamq; precum, sociamq; laborum
Ærumnæ comitem & spem caræ prolis haberet.
Explevit desiderium, vitaq; modestæ
Prudentisq; animi socio sibi jungit amore
Matronam, fuit illa viro carissima, dulci
Prole domum ditans: nam quatuor ordine natas
Filiolumq; unum sub luminis edidit oras.
Cætera penè Sara similis sanctaq; Rebecca,
Mente Deo famulans, à luxu aliena superbo,
A levitate vagâ, miserorum provida nutrix.*

*Ille bis est felix, cui contigit auspice Christo
Conjugium felix: cedunt bona cætera, cedunt
Omnes orbis opes thalamo sine lite quieto.*

*Impia SCHOSGAEVS post nubila luce potitus,
Explicitusq; jugo spoliata compare vita,
Promptius officium mandataq; munia fecit.
Quippe animo jam liber erat, mandata Iehovæ
Respiciens tantum normam scribentia cuiq;
Vivendi: humanas doctrina in calite leges
Ridebat, fidens animi: nec fulmina Papæ
Horruit, aut morsus carpentis singula turbæ.*

*Cura prior Christi de regno animaq; salute
Semper erat: quærebat opes in codice sacro
Illi uni invigilans: templis ubi posceret hora
Intererat, rectâ cupiens inflectere vitâ*

Exemploq; suos neque tantum auditor inanis
Doctrinæ salvantis erat, sed cognita mente
Condidit, & fidei fructus procudit amœnos.
Pauperibus patriaq; procul regione fugatis
Quam sese mitem dederit, vicinia nobis
Testis & accedens peregrinis exul ab oris.
Nunquam indignari, nullum objurgare solebat,
Pro re succurrens miseris, solatia dono
Iungebat sortisq; memor Christiq; monentis.
Noverat utilitas quæ surgat ab artibus ipsis,
Commoda quæ præstent cathedræ, sociataq; templis,
Pulpita Doctorum: nam quod turpissima quondam
Omnia barbaries fœdavit, & imbibit atras
Religio sordes, pietasq; attrita recessit,
Neglectus fecit studiorum, ereptaq; doctis
Nutrimenta viris, apibus quæ debita quondam
Fucus iners avidam absumens demersit in alvum.
Ergo scholas, natósq; scholis servire, benigna
Fovit ope, impensasq; dedit clementer egenis,
Queis aliti quondam delubra scholasq; juvarent.
IVLIADI imprimis mentemq; animumq; benignum
Exhibuit, præsensq; aderat, solennia si qua
Festa celebrabat consueto academia ritu.
Tum quoque cura fuit missis ornare Camænas
Muneribus signumq; boni monstrare favoris.
Singula quid memorem? non officiosior illo,
Nec melior vicinus erat, qui semper amabat
Derivare suos aliena ad commoda fontes.
Interea nil cœnobio decedere quicquam,
Nec minui reditus: poterat vigilantia tantùm
Indomitusq; labor, tempestivè omnia curans,

Inten-

Intendensq; oculos, unde annuus incrementum
Proventus caperet, ditarentq; horrea messes.
Gignit opes, pietas, & mens sibi conscia recti,
Vnde minus sperat lucrum, accipit: exuat auri
Immodicas animo, qui vult ditescere, curas.
Bellorum rabies atq; inclementia lapsi
Temporis abstulerat, atque interverterat illa,
Quæ quondam dederat prisci devotio sacli,
Hæc reparare labor fuit, in meliusq; locare.
Aspice nunc, quis rebus honos, quæ gratia cunctis?
Quæ malè perdiderat majorum incuria, longè
Splendidiora vides, nulloq; gravamine pressa.
Hac memorata tenus privata industria vitæ
Officia, intentusq; labor: quæ publica fecit
Non leviora illis, fors & graviora, potentum
Quando Ducum jussu non parva negocia sanis
Consiliis rexit, litesq; incidit obortas.
Non aula hoc nescit, non consistoria, & urbes,
Quas adiit mandata ferens: moderatio in ipso
Semper visa fuit nimio minus æqua rigori.
Illam dexteritas mentisq; ornabat acumen,
Vt facile in dubiis nervum deprehendere rebus,
Atq; scopum posset digito contingere recto.
Non aberat solidæ pietatis opinio, jussam
Sueta tenere viam, & respectum ponere rerum.
His meritis famam sibi mercabatur honestam,
Principibusq; tribus, quos sceptra capessere vidit,
Et fuit & mansit toto gravissimus ævo.
Invida fatorum series, & parcere nulli
Docta manus, casti hoc exemplar præsulis, agri
Saxonici hoc prælustre decus, non amplius orbi

Indul-

Indulsit, fessoq; graves in corpore morbos
Accendit, fovitq;, quibus confecta senilis
Concidit, & solitis spoliata est viribus ætas,
Invenitq; via finem vitaq; fugacis.
Luximus hunc casum communia deplorantes
Damna, sed instantes motus, atque horrida bella
Mente revolventes, te terq; quaterq; beatum
Dicimus. Existi è lacrymis, SCHOSGAEE, nigroq;
Carcere; libertas te tandem optata revisit.
Nos heu multa manent discrimina plurimus eheu
Circumstat metus & torpentia pectora frangit!
Conditio melior nostrâ tua, vive valeq;,
Cura Ducum quondam, nunc sancti cura IEHOVAE.

XLI. ADAMVS BALCHEN, monachus non indoctus, vixit in monasterio Vallis Mariæ sub Abbate Schosgio: qui cum reformatæ religioni nomen daret, ipse etiam veritati reluctari nolens, doctrinam salvificam avidè amplexus fuit. Perrexit autem porro in studijs, & eo devenit profectus, ut cui Pastoris in ecclesia monasterij munus demandaretur, dignus visus fuerit. Huic muneri eâ fide præfuit, ut typus gregis esset & haberetur, Abbatisque sui cum favorem demereret, ut ab ipso Prioris dignitate honoraretur. Vnde factum, ut Antecessore isto suo vita functo, in summi monasterio Antistitis locum surrogaretur. Factum id anno MDXCII. Verum gubernationi præfuit annis VI tantum, & grassante peste vehementissima anno MDXCIIX diem suum obijt XXVII Augusti, morte quidem subitanea, incertum tamen an lue infectus. Sepultus est triduo post, concionem funebrem habente Daniele Hoffmanno, Theologo magno & Academiæ Iuliæ Professore primario.

XLII.

XLII. PETRVS GIBELIVS electus est à conventu in Abbatem eodem statim anno, quo decessit *Balchen*, & ab illustrissimo Principe, Henrico Iulio, confirmatus.

Pastoris officio ante Præsulatum functus est, fideliterque commissam sibi spartam ornavit, fructumque multum fecit.

Præsul factus præcipuam statim operam templo ornando impendit. Et primo quidem regiminis anno campanam novam, non exiguæ magnitudinis parari & in turri suspendi fecit, eique sequens distichon pro sui memoria inscribi:

Officij primo Petrus Gibbelius anno
Obtulit æs domui hoc Christe benigne tua.

Mox aram novam in altari majori, novumque baptisterium extrui, & utrique, ut amans erat poëtices, versus aliquot appingi curavit.

Inscriptio Aræ.

Christe, tuis solitus servire fideliter aris
Vt sacra poscebat functio, Gibbelius,
Hanc tibi, postquam Abbas est factus condidit aram
Vt fidei & mentis grata sit arrha piæ,

Inscriptio Baptisterij.

Templi ornamentum, & rem sacris usibus aptam,
Gibbelij hic statuit cura benigna Petri.

Sub hujus regimine monasterium in bonis suis bis graviter afflictum non parum damni passum fuit. Anno enim MDCII senatus populusque Brunsvicensis, à Principe suo hæreditario Henrico Iulio rebellionis rei acti, & rebelles declarati, quod commodùm Princeps domo abesset, & Pragæ apud Cæsarem commoraretur, conducto milite, quem cives comitabantur, omnia circa urbem Principis

loca, oppida minora, monasteria & pagos ad aliquot milliaria diripuere, armenta ac pecora abegere, supellectilemque omnem abstulere, incolis omnibus pessime mulctatis, nec monasterij pagis abstinuere, eadem barbarie in ipsis usi. Cum deinde Princeps diu læsus anno MDCV. vindictam sumere de rebellibus suis cogitaret, urbemq; primo Brunsvicensem stratagemate quodam tentaret, mox obsidione premeret, eam tamen deinde anno sequenti ad mandatum Cæsaris, qui utrique parti armorum depositionem sub pœna banni injunxerat, solveret, exercitumque dimisisset; Brunsvicenses more majorum tum ipsi, tum milites ipsorum conscripti, in ditione Principis omnia denuo devastare, prædasque agere cœperunt, etiam hac vice monasterij subditis & bonis minime parcentes. Biennio post Abbas Petrus ex lapsu inopinato ex scalis decumbere cœpit, ac tandem XXIX Maij anno MDCCIIX dies vitæ finivit, cum pene decennium monasterio præfuisset. Concionem ipsi funebrem habuit Basilius Satlerus Doctor & Generalissimus Ecclesiarum Ducatus Brunsvicensis Superintendens.

XLIII. FRANCISCVS SCHRADERVS eodem statim anno gubernationem monasterij suscepit. Erat monasterij Bursarius jam ab anno MDCV. vivebat tamen in aula Guelfica Ducis Brunsvicensis Henrici Iulij concionator aulicus, vir doctus & eloquentissimus. Tum vero ex commendatione Principis à Conventu monasterij in Abbatem electus, & à Principe, confirmatus fuit. Dignitatem ingresso tanquam amico veteri, gratulari & fausta omnia precari, ut debui, ita etiam volui. Indicio est sequens Eucharisticon, quod inaugurato obtuli.

Magna

Magna fuit pietas majorum, & fervidus ardor
Dogma propagandi cæleste, alienaq; vero
Pectora, non armis (sacer horret Spiritus illa)
Sed miti eloquia sensa ad meliora trahendi.
Inde tot à priscis COLLEGIA regibus olim
Munificâ sunt structa manu, ditataq; largè:
In quibus haud pauci, quos isthac vita juvabat,
Frugali victu contenti habituq; severo,
In commune bonum studia indivisa locabant:
Nunc primas pueris artes, nunc enthea adultis
Scripta inculcantes: nullo non tempore castis
In precibus toti. Recturi templa scholasq;
Inde petebantur, fœcundo ut sæpius horto
Eruitur tenera atque alio traducitur arbos.
Verum, eheu? sanctis loca consecrata Iehova
Servitiis, quantum turpavit abusus? ut omnem
Vana superstitio elisit pietatis honorem?
Eripuere apibus pigri sua pabula ventres,
Inq; sacros venere lares ignava secuti
Otia, ferventesq; alienis ignibus ollas.
Fallendi cupidis subvenit HYPOCRISIS, audax
Fastidire pios & ineptos fingere cultus:
Cui comitem sese vecors INSCITIA junxit.
Quid faceret, quo se pietas oppressa referret?
Imploravit opem Christi, quo vindice labes
Hæc quoque convicta erroris damnataq; nostris
Finibus excludi meruit. gaudete beati
Majorum manes: hilari qua mente dedistis,
Auctori rerum, non amplius occupat usus
Degener, aut apibus tollunt nutrimina fuci.

COENOBIIS, facies primæva est reddita qualem
Antiqui voluere patres, sublataq; fraus est
Commentis hominum divinæ injuria legi.
Vos, quibus indulsit fasces moderator Olympi,
Semidei reges, etiam huc intendite mentes,
Ne qua iterum labes sacras irrepat in ædes.
Quæ data sunt Christo nullo maculentur abusu:
Nec metuant avidos HARPYIAE aut VVLTVRIS ungues.
Ad clavum sedeant, quorum prudentia nota:
Quos caros alijs pietas doctrinaq; reddit,
Vt præsint prosintq; simul: sic sarta manebunt
Factaq; quæ pietas majorum provida sanxit.
At tu Christi paræ cui VALLIS amœna MARIAE
GVELFIADAE magni jussu modo traditur, esto,
Quem tua te pietas nobis SCHRADERE futurum,
Pollicita est pridem: grave pondus muneris hujus
Cum noris, teneasq; modum normamq; regendi
Quæ Christo placeat: fueris cum totus in illo
Hactenus, indignum ne quid te fortè patrares,
Sis maneasq; tui similis, cursumq; teneto
Quem bene cœpisti: quæ restant cætera, Christus
Diriget, & cœlo benedictio proflua ab alto.

Verum spes ea omnis, quam de Schradero conceperat tum aula, tum monasterium multique alij, inopinato decollavit. Vix biennium enim cum præfuisset, quod mortale erat deposuit, vitamque hanc temporalem cum æterna commutavit. Obijt anno MDCX.

XLIV. IOHANNES ZVNFT, ejus nominis VII, electus est IV Maij anno MDCXI, & monasterium guberna-

bernavit annos I I X. Natus est in urbe ditionis Brunsvicensis non postrema, nec ignobili, ad Visurgim, quæ vulgo Hamelen appellatur.

Gubernante monasterium Zunftio, memorabilia plurima accidere vicinis in locis: quorum quædam obiter hic annotari merentur. Anno regiminis primo, XXVII Iunij Imperator Rudolfus senatum populumque Brunsvicensem *banno* ferijt ipsosque ut bannitos publice proclamari jussit. Factum id Halberstadij, præsente Henrico Iulio Duce Brunsvicensi, & Circuli Saxoniæ inferioris aliquot Legatis. Anno sequenti, die XV Octobr. inauguratum est *novum Iuleum* in Academia Iulia, magnis sumptibus ædificatum, præsente Friderico Ulrico Duce Brunsvicensi, commodum ex Gallia & Anglia domum reverso, cui suas vices Serenissimus parens Henricus Iulius Pragæ tum agens demandârat: ubi & anno insequenti, die XX Iulij diem suum obijt, Princeps incomparabilis.

Anno MDCXV die IX Octobr. obijt Calfordæ ubi residebat, *Ioachimus Carolus*, Dux Brunsvicensis, Præpositus Argentinensis, frater Henrici Iulij Ducis Brunsvicensis. Exuviæ in monasterium Mariævallense deportatæ debitis ceremonijs terræ matri mandatæ fuerant.

In annum eundem incidit secunda urbis Brunsvicensis obsidio, qua eam pressit Fridericus Ulricus, Princeps ejus hæreditarius, si qua tandem, ut officium suum faceret, & Domino legitimo pareret, vel invitam posset compellere. Omnia eventu vario fuerunt acta: tandem tamen res composita, & Brunsvicenses Principi, ut Domino suo, homagium more majorum solenniter præstiterunt.

Anno MDCXVII, mense Octobri celebratum fuit per universam Germaniam maxima solennitate primum *Iubileum Lutheranum.* Anni enim hoc tempore elapsi erant centum integri, ex quo imposturas Pontificias beatus Lutherus primum detexerat, & cœlestem doctrinam à fermento commixto repurgarat.

Anno MDXXIIX mense Novembri primum visus est in his oris terribilis ille Cometa & fatalis toti Europæ & cumprimis Germaniæ: qui bellum illud portendit, horridum bellum, quo tum statim flagrare cœperunt omnia, & jam tantum non penitus conflagrarunt.

Obijt Ioannes Zunftius anno MCXIX die XXVI. Febr:

XLV. IOHANNES ABVSLER, ejus nominis IIX. successit Ioanni Zunftio. Natus est is ex patricia nobilique apud Goslariam, urbem Imperialem, familia.

Bonis literis & disciplinis ab ineunte statim ætate imbutus, juri civili eam navavit operam ut plurimos alios longo post se intervallo, relinquere videretur. Innotuit itaque maturè aulæ Ducum Brunsvicensium, in Consiliariorum numerum adoptatus: fidemque suam in eo munere illustrissimæ familiæ ita per annos fere XLV probavit, ut nec frigus in eo ipsum afflaret, & æquè summis atque imis gratus haberetur atque acceptus, quod difficillimum est in aulica dignitate constitutis ab omnibus obtinere. Vt vero demum, post exantlatos labores maximos, otium aliquando & quietem indipisceretur, commendante Principe in Abbatem Vallis Mariæ electus, & à Principe confirmatus est. Putavi tum etiam mei officij esse fautorem & amicum veterem gratulatorio aliquo

pro-

prosequi in honoris novi assumptione & sequentem propterea honori ipsius ad aram memoriæ suspendi in academia Iulia εὐφημισμόν:

Sic fieri jus est, ut qui compluribus annis
Principibus magnis operam studiumq; probârunt,
(Sive obeunda fuit peregre legatio ad aulas
Caussaq; in augusto gravis exponenda senatu:
Sive domi calamo solerter oportuit uti,
Consilioq; ratam patriæ firmare salutem)
Viribus exhaustis tardaque urgente senectâ,
Inveniant requiem fessosque laboribus agris
Exonerent artus, nec re nec honore minores.
Cygnifer humenteis ubi dividit Occaris agros,
Stirpis honos, VSLERE, tuæ, iam pondere dulcis
Eloquij referens, quam Nestora vertice cano:
Guelfica te Synedrum venerata est aula fidelem
Penè novem lustris: neque tanto tempore quisquam
De te jure queri potuit, moresq; notare:
Principibus placuisse tribus, nullaque gravatum
Invidiâ aut odio susceptum ætate virili
Munus ad extremam potuisse tenere senectam
Vno eodemq; loco, nulla vertigine, nullo
Casu interposito, magnum est rarisq; benigna
Sorte datur. Tibi quantum hoc est fortuna secundo
Annuit eventu, timuitq; infida vocari
Iamque tot annorum serie, noctuq; dieq;
Ardentes æstus inter frigusque malignum
Suscepti toties exantlatique labores,
Exorant requiem longaque levamina curæ
Iustas ante preces effusaque pectore vota,

Quod

Quod decuit factum est: quod vix tibi credere promtum
Fatorum decreta parant. Sapientia Guelfi
Caniciem metita tuam, lassataq; membra,
Portum aperit festæ tranquillam VSLERE carinæ.
Gaude sorte tua, jam respirare licebit
Parte aliqua, atque humeros oneri subducere longo.
Iam melius sacris rebus precibusq; vacare
Fas erit: aula tamen quoties matura inquiret
Consilia, admonitusque tuos coëunte senatu
Ad veteres operas alacer promptusq; redibis
Donec ad æternam requiem sedesq; beatas
Sollicito eductum præsentis carcere vitæ
Transferat indulgens te gratia Numinis almi,

Finis Chronici Marienthalensis Meibomiani.



APPEN-



APPENDIX

QVæ de Marienthalensi cœnobio, ejusque Abbatibus, Vir Clariss. Henricus Meibomius, ὁ μακαρίτης, immortale decus Academiæ Iuliæ, ad editionem paraverat, ea fide, qúa accepimus, adhuc sunt exscripta. Visum autem est precium operæ, ea quæ de R. Dn. Iohanne Zunftio, Auctori præterita sunt, & de R. D. Iohanne Haspelmacher / hoc tempore dum ista eduntur Cœnobij Abbate certo testimonio nobis sunt comperta, ad telam Meibomianam attexere. Annus agebatur à Servatoris mundi incarnatione millesimus sexcentesimus decimus, cum perquam Reverendus & Amplissimus Dn. IOHANNES ZUNFT Hamelensis, Conventualium senior, concordibus sacri cœtus suffragijs, in Abbatem electus & à Serenissimo & Reverendissimo Principe ac Domino, Domino HENRICO IULIO Duce Brunsvicensi ac Luneburgensi &c. ritè & clementer est confirmatus. Accepimus Virum fuisse insigni & erga Deum pietate & benignitate erga proximum, qui clavo Cœnobij regundo admotus, in magno negocio habuerit ecclesiastica pariter & œconomica religiosè atque fideliter administrare. Alebantur in monasterio duodecim plurimùm adolescentes, qui ut non tantum demensum acciperent, sed & pensum rectè suum conficerent; atque in litteris & bonarum artium rudimentis, sub Informatore debitos facerent progressus, Abbas seriò allaborabat. Accedebat justa morum censura, per

M quam

quam lascivia omni & petulantia summota, vitæ integritas & honestas commendabantur. Vt autem de ingenijs & doctrina alumnorum eo certius constaret, invitabantur ex Academia Iulia quotannis terni Professores, qui profectus singulorum explorarent, & num ex cœtu nonnulli Academiæ auditorijs essent maturi, decernerent. Quod autem præteriri hoc loco minimè debet, illud est, Abbatis Zunftij cura, non fundos tantum & villas cœnobij, inprimis VVarslebiensem & Sigerslebiensem, ædificijs & substructionibus insigniter instauratas, sed & vigilantia ejusdem atque studio, fructuosum illud, in præpingui agro Magdeburgico situm Hakenstetum, una cum commodis suis, Marienthalensi conventui postliminio esse recuperatum, postquam per ipsos sexaginta amplius annos eo fuerat destitutus. Averterant illud & ad hypothecarios creditores, Nobiles Dominos à Quitzovv, devoluerant fluctus bellorum, qui Henrici junioris Brunsvicensium & Luneburgensium Principis ævo, patriam quassabant. Numeratos dudum à Quitzoviis octies mille numos Imperij Thalenses, è cœnobij bonis reddidit ZUNFTIUS, & creditores hypotheca decesserunt. Hakensteto ita redempto, ut eodem in agro & vetus Branslebia, prædium Cœnobij proprium, sed fato quodam urgente, Nobilissimis Asseburgijs pignoratum, ad priscos Dominos reduceretur, animum & operam convertit. Iamque eò promoverat, ut per Reverendum Dn. Julium Satlerum, conventualem tum suum, hodie cœnobij Priorem, & Gandersheimensis ac vicinarum ecclesiarum Generalem Superintendentem, possessio Branslebiensis prædij apprehenderetur: Sed præmatura mors Abbatis, laudabiles hos conatus intercepit. Luxerunt

M obitum

obitum Viri inprimis Ordines provinciales, quibus in maximis de republica consultationibus, in negotijs item ad ærarium spectantibus, cui consiliator erat additus, prudentia fide, animi moderatione, ita semper præsto fuerat, ut Serenissimi quoque Principes, Henricus Iulius & Fridericus Vlricus, Duces Brunsuicenses & Luneburgenses, excelsæ memoriæ principes, consilia viri prudentiæ & fidelitatis plena, respectarent, & ardua illi negotia expedienda crebrò committerent. Annus & dies obitus in Chronico est annotatus. Deus in sinu Abrahæ eum reficiat & posteritati ejus ex alto benedicat.

Anno Christi cIↃ IↃ cxxxvII. Serenissimus & Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus AVGVSTVS, Dux Brunsuicensis & Luneburgensis, Dominus noster clementissimus, postquam Guelfici Ducatus hæreditariam successionem, felici auspicio, adierat, Marienthalensis Cœnobij Abbatem constituit, perquam reverendum, & amplissimum virum, Dominum M. Iohannem Haspelmacher/ Hervordia VVestphalum. Functus antea fuerat munere sacri Oratoris in Celsitudinis ejus aula Hitzigerensi, ubi propter singularem integritatem, peritiam rerum divinarum, & vim dicendi, Principis sui favorem & singularem clementiam ita sibi conciliaverat, ut alia subinde atque alia commoda atque ornamenta, pro meritis consequeretur. Vacabat haut multo post Ducatus Dannenbergici ἐπισκοπὴ & Luchoviensis, cui cum idoneus Antistes requireretur, huic ea viro non ambitu est petita, sed Serenissimi Principis benigno indultu ultrò tradita. Ita verò sacram hanc provinciam sibi gerendam censuit ut præter animarum curam, potissimam illam sancti muneris sui partem, etiam incolarum necessi-

tatibus, quas asperrimi belli tempestates pleno velo intulerant, sollicitè & cupidè consuleret. Sive ergo horridus miles oratione mitigandus, sive afflicti oppressorum animi erigendi, eorumve sublevanda egestas, sive apud Patriæ patrem caussa oranda subditorum, ubique se gregis sui satagentem & fidissimum pastorem exhibuit. Inde à Serenissimo Principe & in Senatum suum ecclesiasticum adscitus, Luchoviensis administrationis intervalla, ecclesiarum totius ducatus cura distinguit, & ut religionis res sartæ tectæ conserventur, pro virili adjuvat. Cœnobium porro suum, cujus templa, ædes, prædia, villas, instrumenta, Mars indomitus, & hæc ævi nostri truculenta atque pertinax tempestas nimium quantum afflixit, dissipavit, ac propemodum evertit, colligere & instaurare, quanta maxima potest ope adhuc enititur, erogatis de suo in materiam, operas, jumenta, magnis sumptibus. Templum variè deformatum concinnavit, exstructo impensis suis novo suggestu, & in locum priscum reposito marmoreo baptisterio, quod illo omnibus Evangelicis ultimam servitutem minanti anno hujus seculi undetricesimo, ab invasoribus monachis Pontificijs fuerat projectum: Tenue est, sed memorandum tamen, sub initium seculi hujus ferventibus intestinis patriæ bellis, perduellem militem, præter alia illata damna, vetustam matris Domini imaginem, in fronte cœnobij conspicuam, pro scopo jaculis confixisse & fœdè mutilasse, cujus instaurationem suæ curæ esse Dn. Abbas ideo censuit, ut cum in sancti illius thalami, in quo verbum humanam carnem sibi desponsavit, beatam recordationem domum hanc venerandi majores consecraverint, ditaverintque, memoria sanctissimæ Virginis integra etiam deinceps

inceps

inceps atque illibata hîc permaneret, & viatoribus vel ad oculi conjectum commendaretur. Porro haut temere totius hujus belli tempestate acerbior casus bonis cœnobij accidit, quam cum prætorium Hakenstedense, fortuito incendio correptum omne conflagravit. Ortum illud, unde pleraque agrestium mala, à manipulo militum, qui columbas sclopeto petituri, incauti culmen inflammarunt, unde incendio invalescente, quicquid ædium erat in cineres est redactum. Similis pene casus VVarslebiensem villam, ante decennium absumserat, nisi benignior aura stitisset flammam, & unum alterumque ædificium fecisset reliquum. Fecit venerandus Antistes, quod post ejusmodi cladem fieri par erat, & novis ex integro domibus excitatis, colono, jumentis, frugibus receptacula commoda reddidit. Decima agri VVackerslebiensis & Nienstetensis, Magdeburgensi præfecturæ Hötenslebiensi, pignori opposita erat, ob ter mille leviculos Thalenses, eo nimirum tempore numeratos, quo ad ærușcatorum immanes offucias fato quodam suo cæcutiebat Germania. Devenerat inde decima hæc ad Nobilissimum Iohannem ab Asseburg Scherembeccæ Dominum, à quo magno nixu Dn. Abbatis, per legum quamvis tarda auxilia receptum tandem pignus & Valli S. Mariæ est restitutũ. Proxima cura fuit, fundos per fatalem temporis rabiem incultos novis colonis frequentare, quod cum in Hakenstetensi, VVarslebiensi, Sigerslebiensi, feliciter cœptum sit, pariter in ceteris eo venit sperandum certius, quo desideratissimæ pacis spes affulget propius. Absolvat modo optimus maximus Deus, quod operari cœpit, & inclinatæ Germaniæ succurrat benignus, ut multis magnisque peccatis nostris conflata, heu, diuturna tempe-

ftas, ponat tandem penitus & aurea tempora redeant, quibus *Bos tutus rura perambulet*

Pingat rura Ceres: almaq; Faustitas.

Pacatum volitent per mare navitæ

Culpari metuat fides.

Servet idem Deus, & diutissimè sospitet ecclesiæ, cœnobij ejusque subditorum & familiæ suæ bono perquam reverendum Dn. Abbatem eiq; & animum hunc confirmet & successus aspiret, quo laceram labantemq; istam Domini domum feliciter porro reficere & ita instaurare valeat, ut & pio conditorum instituto, & ecclesiæ atque reip. necessitatibus, & quæ supra omnia est, Dei gloriæ subserviatur atque satisfiat.

Scripsi in Academia Iulia Helmstadij Kal. Maij cIↄ Iↄ CXLIX.

Christophorus Schrader.

FINIS.

